

**www.e-rara.ch**

## **In Davidis Psalterium sacrosanctum commentarii**

**Musculus, Wolfgang**

**Basileae, [1618]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Shelf Mark: FNP II 27:1

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-61094>

Psalmus primus [- psalmus X.]

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



## PSALMVS PRIMVS.

## ARGVMENTVM PSALMI.

**A** HOMINIS iusti pietatem ac felicitatem hoc psalmo Propheta admiratur, prædicat & extollit, simulq; de impiorum infelicitate ac diuersitate adijcit: atq; ita nobis piorum & impiorum discrimen paucis verbis luculentissime ob oculos exponit.

## VSVS HVIVS PSALMI.

Est autem Psalmi huius vsus ad id destinatus, vt animi piorum in pietatis studio, obedientia ac religione Dei confirmetur: ne quo pacto temporaria impiorum prosperitate conspecta, ἀδιαφορία illam animo concipiant, qua ratio humana nihil discriminis coram Deo inter iustum & impium esse statuit: ideoq; vanum eum esse iudicat, qui legi ac verbo Dei studet: eos verò beatos prædicat, qui, quibuscunque modis fieri potest, ingenio suo obsecundant. quæ tentatio & infrà Psal. 73. & Hier. 12. & Malach. 3. retunditur.

## DISPOSITIO PSALMI.

Sunt verò Psalmi huius tres partes. Prima, Vates iusti hominis felicitatem ac pietatem, versibus 1. 2. & 3. prædicat.

Secunda, diuersam impiorum sortem, vers. 4. & 5. subiungit.

Tertia, rationem præmissæ vtrique iustorum & impiorum sorti conuenientem, versu vltimo adijcit.

## PRIMA PSALMI PARS.



**B**EATVS ille vir, qui non ambulat in consilio impiorum, & in via peccatorum non stat, & in sede derisorum non sedet. VERS. I.

## LECTIO.

Græcus, & vulgata Latina, & reliqui tam veteres quam recentiores, in præterito legunt, quæ ego verti in præsentem. Deinde Græcus vertit, ἐν τῇ καθέδρῃ τοῦ μωροῦ: id est, in sede pestilentiarum. Et vulg. Latin. In cathedra pestilentia. Hieronymus, In cathedra derisorum.

## EXPLANATIO.

**B** Duo facit hoc versu Propheta. Primum, quasi post diutinam & intensam hominis iusti contemplationem & admirationem, exclamatione quadam in celebrationem ac prædicationem illius prorumpit, dicens: *Beatus ille vir*, &c. Ita quippe non simpliciter dixit, *Beatus vir*: sed, *Beatus ille vir*, וְהַיְיטִיב. Est enim hoc loco *he*, nota emphatica. Hac exclamatione non tam iusti felicitatem in se, quam studium illud pietatis, quo iustus est præditus, commendat & extollit: sicut & **C**H**R**I**S**T**V**S, cum dicit: *Beati pauperes spiritu, beati pacifici, beati mites, beati mundo corde*, &c. non simpliciter fidelium felicitatem prædicat, sed animos humiles, pacificos, mites ac sinceros celebrat. Et cum dicit: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis: non de oculorum felicitate, sed de temporis illius gratia & salute differit: quæ tanta sit, vt merito beati sint, quibus hanc contueri, agnoscere & amplecti datum sit.* Ita & hoc loco Propheta, cum propositum esset ipsam iusti hominis erga Deum pietatem, fidem ac religionem extollere, in hanc vocem prorupit, vt *eum virum*, qui ita sit affectus, *beatum esse* proclamet.

Deinde pietatem illius, ob quam beatus sit, describit: quo videlicet animo erga **D**E**V**M sit præditus, quàm omnem impietatem detestetur, diuinique sese voluntati accomodet. Quoniam autem studium hoc **D**E**I** in his duobus consistit: primo, vt quæ **D**E**O** displicent auersemur: altero, vt quæ illi probantur, cupidè amplectamur: vtramque istam pietatis partem hoc ordine distinxit, vt primum in iusto prædicet, quòd impiorum quaecunque commercium sedulo fugiat: ac tum demum versu altero subijciat, quanta sedulitate diuinæ voluntati noctes atque dies studeat.

Dicit itaque: *Qui non ambulat in consilio impiorum, & in via peccatorum non stat, & in sede derisorum non sedet.* Ebræus, vt hoc obiter admoneam, verba hæc *ambulandi, standi, ac sedendi*, in forma præteriti temporis posuit: vt pote, *ambulauit, stetit, sedit*. verùm interpreti huius linguæ curandum est, vt relicta illius consuetudine, magis sensum quàm formas verborum exprimat. Solet enim illis verbis vel præteriti vel futuri temporis etiam tum vti, quando res ipsa de qua loquitur, nec præterita, nec futura est, sed præsens. Caret nanque præsentis temporis forma, cuius loco aliquando participijs vtitur. Visum est igitur hoc loco sic reddere: *Qui non ambulat, non stat, non sedet.* Non enim de præterito aliquo pietatis studio sed de eo quòd iustis est perpetuum, loquitur. Sed vt ad propositum reuertamur, dictionib. *ambulandi, standi ac sedendi*, item *consilij, viæ ac sedis*, quæcunque impiorum cogitata & facta, & ipsam quoque securitatem qua in impietate sua perseverant: hoc est, omnem impiorum vitam & conuictum complexus est: vt admoneat, omnium impiorum vitam abominationem esse iusto homini, ita vt nec ambulare, nec stare, nec sedere cum illis sustineat.

Vocat autem eos, quorum commercium vir iustus auersatur, וְהַיְיטִיב וְהַיְיטִיב וְהַיְיטִיב: id est, *impios, peccatores ac derisores*: non quòd alij ex illis sint impij, & alij peccatores, ac rursus alij derisores, cum sint ijdem: sed quòd his nominibus visum sit impietatem illorum vniuersam, & animi & vitæ

a & omnis

*Impij.* & omnis pietatis contemptum exprimere. **וְיָרֵם** enim propterea dicuntur impij, quòd animo sunt inquieto ac turbulento: quales esse solent **אֲדוֹרִים**, quibus ut nullus est DEI respectus, nulla erga Deum fides, nulla religio in corde, ita nihil veræ pacis possident, nec unquã solida cordis quiete potuntur. His rectè consiliū adiecit, dicens: *Qui non ambulat in consilio impiorum.* Intelligit autem de malitiosis, variis & irrequietis cogitationibus, quibus cor impium & impacatum, terrenisq̃ rebus absque villo timore DEI deditum, varias rationes comminiscitur, quibus per fas & nefas ad propositum perveniat, desiderijsq̃ impijs satisfaciat. **וְיָרֵם** verò: id est, peccatores, ijdem quidem impij dicuntur, sed tum, quando cordis illorum impietas & inquietudo in externam totius vitæ conversationem fructibus suis prorumpit, ut omnis illorum vita plena sit peccatis: nec aliud esse videatur, quàm singulare quoddam & assiduum peccandi studium. Viam istis tribuit, dicens: *Et in via peccatorum non stat:* propter impietatis illorum in peccatis non solum expressionem, sed progressum, vsum, consuetudinem, & continuationem.

*Derisores.* Tertio vocat eosdem **וְיָרֵם**: id est, derisores, propter pertinacem omnis pietatis, religionis & iustitiæ contemptum ac subfannationem. Hoc enim genus hominum non solum corde est impium, & per omnem vitam peccandi studio deditum, sed tale, cui omnis pietas ac rectè viuendi doctrina & ratio ludibrio sit, summæque stultitiæ loco ducatur. Datur his sedes, non illa quæ rerum firmitudinem ac stabilitatem significet, cum omnia illorum fluxa sint & caduca: sed qua securitas illorum exprimitur, qua & sibi & alijs & securi esse & regnare videntur. vel certè *Sedis* hîc dictione cœtus & confessus consultantium intelligitur: unde & Chaldæus habet **וְיָרֵם**: id est, *in casu derisorum*, &c. Solet enim vsueneri in hoc seculo, ut impij homines in concilijs & confessibus iudicum priores habeant, ac regnent.

Tres itaq; primus hîc versus triades habet: quarum prima dictionibus *Impiorum, peccatorum, ac derisorum*, omne malorum & improborum hominum genus: altera nominibus *consilij, viae & sedis*, vniuersa illorum cogitata & facta, cum omni vita: tertia verbis *ambulandi ac sedendi*, quodcunque illorum commercium comprehendit: ut eum verè beatum esse significet, qui nec vllum, nec vlla in re, nec cum villo reproborum hominum genere consortium habeat. Hactenus declaratus sit primus hîc versus: cæterum videamus quæ præcipua in illo notanda veniant.

**OBSER.** *Beatus ille vir.* Principiò obseruandum est, quanti pietatis studium æstimetur menti spiritali, scientiæque DEI prædita. Tanti scilicet Propheta his verbis iusti hominis pietatem erga Deum æstimat, ut huius illum nomine *beatum* prædicet. At beatos eos prædicare solemus, quibus vel singulare quoddam, vel amplum, vel plurimum ac multuarium bonum diuino munere contigit: cuius beneficio reliquorum mortalium miseriæ sint exempti. Miserum est, esse pauperem: ergo diuites beatos vocant, tanquam paupertatis ac egestatis miseria liberatos. Miserum est, esse contemptum: ideo gloriosos beatos iudicant, velut à contemptus ignominia vindicatos. Miserum est esse mortalem, & præsentis huius vitæ ærumnis obnoxium: igitur ereptos ex hac lachrymarum valle beatos vocare solemus. **Huiusmodi quidem felicitatis genera Mundus agnoscit: cuius verò Propheta hîc meminit, nullo sensu tangitur. Neque enim agnoscit, quantæ sit miseriæ, esse impium, ignorantem DEI, iniustum, peccati seruum, ac gratia DEI destitutum: ideoque istam iusti hominis felicitatem ne tantil i quidem facit. Necessè est itaque ut hanc agnoscatur, primùm experiantur quantæ sit miseriæ, esse impium, peccati seruum, ac gratia DEI destitutum, ac deinde iustitiæ ac pietatis gustum percipiant. At neque huius neque illius sensus ex carne est, sed ex Spiritus sancti dono. Proinde carnales homines de hac iustorum felicitate nihilo magis iudicare poterunt, quàm de cibi ac potus suauitate ij, qui stomacho vitato nec famis periculum agnoscunt, nec cibi ac potus suauitatem affectant: imò hanc ita fastidiunt, ut penes se mirentur, quomodo ij qui sani sunt, tanta cum delectatione edere ac bibere queant. Hinc est carnalibus ac terrenis hominibus tanta periturorum bonorum, opum videlicet, gloriæ, luxus, & quæ alia sunt eiusmodi, admiratio & existimatio: cum illa spirituales homines, propter veræ felicitatis gustum, planè fastidiant: nec aliter vsurpent, quàm quatenus vitæ huius necessitas exigit. Nequit enim fieri, ut minora ista ac transitoria bona plurimi faciant, qui maioribus ac perpetuis potitur: rursus fieri non potest, ut cui maiora ac sempiterna bona nondum innotuerunt, minora ac fluxa non magnificiant, inque illis felicitatem & suam & aliorum colloquet.**

Probemus ergo hîc quisque seipsum, quo loco pietatis studium ac veram iustitiam ducamus. Hac enim nota deprehendemus, facine ac spirituales simus, seu corrupti & carnales. Seipse seducit, qui cum cibum & potum fastidiat, sanum se esse iudicat. Ita reuera mente sanus non est, cui ista iustitiæ felicitas non adlubescit, nec suauitate illius afficitur, ut & ipse cum Propheta verè & ex animo dicat: *Beatus ille vir, qui non ambulat in consilio impiorum*, &c. Non mox omnium est, ut in studio iustitiæ ipsum verticem teneant: neque ad hanc iustitiæ prædicationem ista perfectio necessariò requiritur, cum etiam in illis locum habeat, qui eam esuriunt ac sitiunt. Quemadmodum enim ad hoc, ut cibi ac potus copiam magnificiant, non statim requiritur ut illam possideas, cum etiam ipsi eam plurimi faciant, qui stomacho sunt famelico, nec habent unde illi satisfaciant: ita & hîc iustitiæ felicitatem etiam illi prædicare possunt, qui hanc non ita dum apprehenderunt, peccati verò seruitute pressi enixissimè quam non habent appetunt. Illi ergo duntaxat hîc excluduntur, qui corde profusus impio peccatis & iniustitia delectantur, nec villo impietatis sensu mordentur, sed & iustitiæ studium auersantur & fugiunt.

**OBSER.** *Qui non ambulat.* Secundo loco notemus, quomodo Propheta, studium iustitiæ prædicaturus, primum illius gradum ponat secessum à malis. iuxta illud: *Declina à malo, & fac bonum.* Sicut enim corporis sanitas acquiri non poterit, nisi prius materia, morbum illius causante, abiecta: ita fieri ne-

quit, ut

**A**quit, vt iustitiæ viuatur, nisi primùm studium malitiæ rejiciatur. Quales ergo Christiani sumus, qui nondum gentium infidelium impietati & iniustitiæ renunciauimus? Quando iustitiæ operam dabimus, cum adhuc iniustitiæ mancipia simus? Quando ad superiora ascendemus, cum inferioribus adhuc adeo tenaciter adhæreamus?

2. Secessus autem iste ab impijs peccatoribus ac derisoribus, qui primo loco ponitur, non est externus tantum, quo corpore malorum conuictus declinatur, qualis monasticus ille in speciem prætenditur: sed talis, qui corde potissimum ac spiritu perficiatur. Verum quidem est, Pius homo, si fieri queat, etiam corpore conuictum impiorum auerfabitur: inde tamen non sequitur, mox liberum eum esse à consortio impiorum, qui externum illorum conuictum fugit, nisi & ipsam impietatem & iniustitiam corde primùm abiecerit, vt nec ipse, etiam cum solus est, impius sit, peccator ac derisor.

Tertiò obseruemus & hoc, quòd non dicit, *Impius non fuit, qui non peccauit, qui in impios, peccatores ac derisores, vel in consilia, viam ac sedem impiorum peccatorum & derisorum, nunquam incidit: sed, Qui non ambulat, non stat, non sedet, &c.* hoc est, qui non communicat impiorum consilijs, nec vitam ex illis instituit, nec pedem in via peccatorum figit: neque tandem, omni emendatione abiecta, quasi habitationem cum derisoribus, ipse quoque omnis iustitiæ derisor factus, in malo firmat. Alioqui quis in hunc Mundum vnquam, vno **CHRISTO** dempto, ita natus est, vt impietatis prorsus expers fuerit? An non **DEO** datur ab Apostolo ad Romanos 4. quòd iustificet impium? An non **CHRISTVS** pro impijs est mortuus? Roman. 5. Rursus quis ita vixit in hac carne, vt nunquam peccarit, nunquam in consortium impiorum, peccatorum ac derisorum inciderit? Verùm ambulare in consilio impiorum, stare in via peccatorum, ac sedere in sede derisorum, hoc demum non iusti, sed reproborum ac deploratorum est.

OBSER. III.

In consilio, via, sede. ] Videmus hic honesta ac præclara nomina tribui impijs, peccatoribus, ac derisoribus. Dat illis Propheta primùm consilium, rem certè magni in se momenti. Non sunt igitur stulti ac temerarij, sed sapientes ac prudentes. Vbi enim consilium est, ibi certè est & prudentia. vnde & **CHRISTVS** filios huius seculi prudentiores esse filijs lucis in sua generatione dicit. At hæc impiorum prudentia non est ad bonum, sed ad malum intenta. Sapientes sunt, inquit *Hieremias capite quarto*, vt faciant mala, bene, facere nesciunt. Et certè impijs alioqui opus est multo consilio, multa prudentia & versutia, vt quæ impiè volunt, pro animi sententia efficiant, effectaque tueantur. Iustus verò optimo ac facilimo compendio, vno hoc consilio contentus est, quo spem omnem in vnam Dei sui gratiam ac prouidentiam collocat, cuius infra Psal. decimoquarto fit mentio: Consilium, inquit, inopis confudistis, quòd Dominus spes eius est. Pietas simplex est, & compendiosa: impietas verò multiplex, varia, ac difficilis. Illa diuino consilio regitur: ista suapte versutia & malitia fertur, iactatur, veritur ac reuertitur. Deinde cum dicit: *Et in via peccatorum non stetit*: peccatoribus viam adscribit. Via, rerum agendarum progressus est. In hoc sunt peccatores prosperi & conspicui. Non solum consultant, sed & perficiunt: & quò volunt, ad opes videlicet, honores ac voluptates carnis, prosperè promouent. Vita eorum videtur strata quædam esse via, in qua nihil sit offensaculi: imò cursus quidam esse apparet planè inoffensus. Sic Hier. cap. 12. per aliam metaphoram dicit: Proficiunt & faciunt fructus.

OBSER. IV. Consilium datur impijs.

Via peccatoribus adscribitur.

Tertiò dat illis sedem, regnum videlicet, iudiciariam quoque potestatem, ac impietatis securitatem, cum dicit: *Et in sede, vel confessu derisorum non sedet.* Sic Dauid infra Psal. vigesimo sexto dicit: Non sedi in concilio vanitatis. Item: Et cum impijs non confedebam. Et Hier. 15. Non sedi, inquit, in concilio illusorum. Quid aliud hac particula innuitur, quàm hoc genus hominum impiorum ac derisorum in concilijs adeo securè regnare ac dominari, vt verè beatus sit, qui sese ab illorum commercio auellat? An non videmus hodie omnia ferè concilia ab illis occupari, qui cum pietatis studium & iustitiæ æquitatem in corde suauiter rideant, nihilominus vtriusque exequutionem profitentur.

Sedes impijs tribuitur.

Impiorum, peccatorum, derisorum. ] Gradus quosdam impietatis ponit, cum reprobos hoc versu impios, peccatores, ac derisores vocat. His enim dictionibus primùm internam cordis malitiam, imò si maius, omnis malitiæ radicem, deinde fructus illius, studium scilicet peccandi, tertiò omnis religionis ac doctrinæ **DEI** contemptum & irrisionem, notauit. Nam hic est impietatis orsus, cursus ac terminus: his illa veluti gradibus absoluitur. De radice ipsa nemo certò iudicabit, vno illo dempto qui cordium est cognitor: nisi fructus illius prodeant, vt ex impio fiat peccator: id est, peccatis vacans ac studens, & ex fructibus arbor cognoscatur.

OBSER. V.

Peccant etiam subinde pij, sed peccatis non student: ideoque peccatores dici non debent. sicuti vinosus non dicitur, qui semel atque iterum, idque modico vino, infirmi capitis vitio inebriatur: sed is, qui data opera noctes ac dies compositionibus est deditus. Talia namque nomina magis animi affectus & studia agentium, quàm actus ipsos expriment. Sic peccator est, qui peccandi: iustus verò, qui iuste viuendi studio delectatur. Verùm etiam in secundo hoc impietatis gradu constitutis, conuersionis ac resipiscentiæ locus esse potest: sicut & in Euangelicis literis peccatores & mulierem peccatricem resipuisse legimus: modò tales sint, qui auditum verbi Dei non aspernentur.

Peccatores.

Derisores.

Tertius verò gradus, qui derisorum est, & illusorum, deplorationi ac desperationi subiectus est. De his enim nemo vnquam, quod mihi constet, animi impietatem mutauit peccandi: studium abiecit, ac resipuit. Inuenias impios ad pietatem conuersos: imò quis conuersorum impietati non fuit obnoxius? Inuenias peccatores ad studium iustitiæ mutatos, & in numerum sanctorum assumptos: de irrisoribus verò, contemptoribus ac subsannatoribus verbi Dei, haud vnquam factum arbitror, de

ut quisquam sit ad resipiscentiam ac veram pietatem conuersus. Hoc enim genus hominum nulli. **A** us est ad inuentionem, nullius castigationis, aut doctrinae capax, quibus medijs impij & peccatores ad resipiscentiam interuentu gratiae Dei vocantur. Vnde Prou. 1. 3. Qui illufor est, inquit, non audit cum arguitur. Hoc hominum genus in nouissimis diebus abundaturum, 2. Pet. 3. praedictum est.

2. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditatatur die ac nocte.

LECTIO.

Legem hinc simpliciter pro ea accipio, quam Israëli Dominus per Mosen dedit: ut legis dictione comprehendantur omnia illa statuta, quae populo huic diuinitus erant praeccepta. Chald. habet **אשר צוה** id est, in statuto. Arabs verò pluraliter reddidit: id est, in statutis Domini: significans, dictione legis, quaeuis instituta DEI esse intelligenda. Ebraeus dictionem **חוק** posuit, quae doctrinam significat.

Voluntas eius. ] **רצון** Ebraeus amplius quiddam est, quam voluntas. Significatio enim dictionis huius, delectationem quandam & voluptatem, aut, si maus, iucunditatem includit. Sic Psalm. 51. **כי לא אהנה** id est, Quoniam sacrificium non vis: hoc est, non delectaris sacrificio. Nam alioqui praecerat illis sacrificandi ritum. Multa subinde quibusdam de causis volumus, quibus tamen non delectamur. At iusti voluntas cum delectatione & animi propensione est in lege Domini. Nec Graeci dictionis huius vim versione sua expresseferunt, reddentes ad hunc modum, **ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς εὐδοκίας** id est, **ἀπὸ τοῦ νόμου αὐτοῦ**.

Et in lege eius. ] Chald. habet **אשר יורה** i. e. **in illuminatione eius**, qua dictione legis potius effectum de quo infra Pl. 19. quam ipsam legem expressit. Ebraeus eandem dictionem **חוק**, ingeminat, idq; non sine emphasi: ut admoneat, hanc iusto esse quam commendatissimam.

Meditatur die ac nocte. ] Ebraeus est **חשב** id est, meditabitur, in forma futuri. Quis autem non videt, quam non conueniat, ut in re eadē, cuius studium, quod hinc commendatur, iusto nec praeteritum est, nec futurum, sed perpetuò praesens, illic praeteriti, hinc futuri temporis sensus accipiat: ut in 1. versu legamus: Qui non ambulauit, non stetit, non sedit: hinc verò, Et in lege eius meditatatur: cum si illic in praeterito, & hinc quoq; in praeterito: aut si hinc in futuro, & illic in futuro legi conueniat.

Proinde cum ea sic linguae sanctae conditio, ut huiusmodi verba pro ratione sensus, vel in praeterito, vel in futuro, vel in praesenti sint accipienda: visum est hinc quoque, quemadmodum & primo versu, magis sensui causae quae agitur, quam formis verborum seruire: ideoque illud **חוק** in praesenti reddere, ut legamus, non *Meditabitur*, sed *Meditatur*, quam rationem, volente Domino, per totum quoque Psalterium seruabimus: haud ignari, quantum inde lucis & commoditatis lectori accedat. *Mediandi* verò verbum, alij ad cordis cogitationes, alij ad oris garritudinem referunt. Chald. habet **חשב** id est, *cantat, iubilat*, &c. Psalm. decimo nono dicit, **חשבתי** id est, *Et meditatio cordis mei coram te*. Et Psalmo trigesimo septimo, **חשבתי** id est, *O iusti meditatatur sapientiam*. Ecce & cordi & ori tributam hanc iusti meditationem. Neque immeritò. Non enim corde tantum, sed & ore: nec ore duntaxat, sed & corde, in lege Domini meditatatur iustus: qua ita delectatur, ut meditationem illius abijcere nequeat. vnde & addit, *Die ac nocte*: sicut illis accidere solet, qui vel ferijs vel adlubescens cogitationibus abstinere non possunt. Vnde & Graeci **ἐπινοήσαντες** dixerunt, quod verbum curam quandam sensu suo complectitur.

EXPLANATIO.

Habet itaq; hic versus alteram pietatis ac iustitiae partem, quam hinc Propheta iusto tribuit: nempe ut non solum impiorum consilia, peccatorum viam, ac derisoriam sedem auerfetur ac fugiat: sed & in lege Domini sese oblectet, inque illa noctes ac dies: id est, sine intermissione meditetur, de illa cogitet, hanc cupide legat & audiat, de hac loquatur & garrat in summa, hanc spiret, viuat, ac somniet, ut omnis illius vita in huius meditatione sit veluti absorpta. Hanc pietatis portionem Deut. 6. simul & praecceptam à Domino, & pluribus verbis declaratam videmus. Sic enim illic legitur: Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filijs tuis, & medaberis sedens in domo tua & ambulans in itinere, dormiens atq; confurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostijs domus tuae. Et Ios. 1. Non recedet volumen legis huius ab ore tuo, sed medaberis in eo diebus ac noctibus. ut facias & custodias omnia quae scripta sunt in eo.

OBSER.

I.

Principio videmus hoc versu, quam non satis sit abstinere à contagione & commercio malorum, nisi & iustitiae studeamus. Magnum est, non esse impium, non peccatorem, non derisorem, nec villo reproborum consortio obnoxium. At in hoc nondum sita est felicitas ista, quam iusto Propheta versu praecedenti tribuit. Alioqui & brutis animantibus illam dabimus. Et haec siquidem, nec in consilio impiorum ambulant, nec in via peccatorum stant, nec in sede derisorum sedent: quae tamen nemo hoc nomine beata praedicat. Requiritur itaque ad hanc felicitatem & altera iustitiae portio, qua diuinæ voluntati ex animo studeamus. Ut enim plena liberatione potiti non sunt, qui Aegyptiorum quidem commercio ac seruitute liberati, terram verò promissam consequuti non sunt, sed in deserto perierunt: ita plenam iustitiam, & quae iustitiae assignatur, felicitatem non habet, qui malis quidem abstinere, verè tamen iustitiae non studet. Abstinere à malis, causa felicitatis est, sine qua non ad diuinæ voluntatis studium, causa est per quam. Qui sarcinis oneratus, ad cursum factus est ineptus, aptè quidem ad cursum se parat, si has abijciat: verum nisi in pedes se conijciat, & ad metam praefixam contendat, frustra magnam, abiectis sarcinis, ad currendum est commo-ditatem consequutus.

OBSER.

II.

Sed in lege. ] Secundo loco notandum est, quòd legem DEI, quae in se nihil est aliud quam voluntas DEI mortalibus declarata, **חוק** id est, doctrinam vocat. Significatur hac dictione, in hunc finem esse

PSALMI I.

5

esse legem à DEO datam, vt populus eius redderetur intelligens, & ad veræ pietatis & iustitiæ cognitionem ac studium institueretur. Sic Moses Deuteronomio quarto dixit: Hæc est enim vestra sapientia & intellectus, &c. Et Ios. 1. Non declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram, vt intelligas cuncta quæ agas, &c. Item: Tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Præscribunt & tyranni subditis: at horum præscripta non doctrinam, sed violentiam ac suppressionem sapiunt. Lex DEI præscriptum habet, quale est parentum erga liberos, medici erga ægros, præceptoris erga discipulos. Deinde & huiusmodi dictio hæc *וְיָדָעְתָּ* admonet, nempe quàm simus veræ pietatis & iustitiæ ignerant assumpti?

Domini.] Non dicit, *In traditionibus seniorum, doctrina & mandato hominum*: sed, *In lege Domini*. Culpanatur peruersi Israëlitarum, qui ore ac labijs DEO appropinquabant, corde verò ab illo recedebant, quòd DEVM timuerint: id est, vt cunque præcepta eius custodierint, mandato & doctrinis hominum impulsu, non studio diuinæ legis inducti. Et CHRISTVS Matth. decimoquinto, Scribis & Phariseis obiecit, quòd mandata DEI propter suas ipsorum traditiones transgredierentur: imò & populum ita ad traditionum humanarum obseruantiam instituerent, vt propter hanc mandata DEI redderentur irrita. At hic noster beatus iustus lege Domini delectatur, inque illa meditatur nocte ac die. Pro tempore quidem hominum etiam statutis, præsertim magistratuum edictis, obsequitur: sed quatenus illa diuinæ legi non repugnant: maxime cum potestatem magistratus à Deo ordinatam esse sciat. Si roges quoddam hodie, quæ sit Christiana pietas: audies humanarum traditionum, ac vulgatæ in Ecclesia *ἰδρυθῆναι* obseruationem. In hac omnis Christiani hominis iustitia constituitur. Huic peruersitati debemus, quòd plerique citius & securius adulterantur, quàm cibum à Deo mortalibus destinatum, ab hominibus vetitum, sextis ferijs attingant. Etenim qui hoc facit, vel se Christianismo prorsus excidere putat: vel si Christiani hominis libertatem intelligat, comburitur: cum adulteris verò colluditur etiam. Quantum quæso ab hoc Christianorum genere diuersus est hic iustus noster?

OBSER.  
III.  
Esaie 29.

Voluntas eius.] Rectè quidem, quòd aliquid hominis legi Domini addicitur: verùm plurimum refert, quæ illius portio huc accommodetur. Et linguam & aures etiam hypocritæ adhibent. Non itaq; dicit: *Sed in lege Domini os eius, aures eius*. Sunt illa externa organa, & nonnunquam hypocritæ haud minus quàm veritati seruientia: nec totum hominem, sed aliquam duntaxat illius portionem, eamque non principalem, sed seruilem complectuntur. Nec dicit: *Sed in lege Domini intellectus eius*. Quamuis ille præclara sit interni hominis pars, non tamen vniuersum hominis imperium tenet. Ita namque comparati sumus, vt meliora scientes, deteriora sequamur.

OBSER.  
IV.

Et CHRISTVS dicit: Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, &c. Quid ergo dicit? *Sed in lege Domini*, inquit, *voluntas eius, delectatio eius*. Hæc est illa hominis portio, quam DEVS requirit, quæ omnem vitam hominis dirigit, aures, os, manum, intellectum, &c. Da voluntatem hanc legi DEI, & dedisti omnia. Sequentur hanc intellectus, & quæcunque aliæ cum animi, tum corporis vires. Et quid quæso competentiùs diuinæ voluntati adaptabimus, quàm nostram voluntatem: diuinæ voluntati, inquam, quæ non minus amat quàm vult. Lex Dei quid est, quàm amans nos voluntas DEI? Quid in nobis est, quòd illi conuenientiùs accommodetur, quàm voluntas: non nuda illa, non secundaria, non coacta, non mercenaria, sed quæ *ἡγάπη* sit: id est, amor & delectatio. Hæc nos verè Deo coniungit. Idem velle & idem nolle, firma est coniunctio, firma amicitia. Sed vnde est hæc iusti voluntas, quæ lege DEI delectatur? Lex sancta est & spiritalis: nos profani & carnales, atque ita sub peccatum venundati, vt odio etiam quæ sancta sunt & spiritalia prosequamur. Inuenias carnalem hominem, cui lex aduersum adulteros lata arrideat: verùm hæc voluntas ex zelotypia est, timet scilicet vxori. in se verò caro legem hanc non amat, sed mallet libidini omnia dari libera. Qui namque secundum carnem est, quæ carnis sunt, affectat. Et affectus carnis inimicitia est contra DEVM, & legi Dei non subditur, neque potest etiam illi subdi. Oportet ergo iustum hunc spiritalem virum esse, non carnalem: hoc est, spiritu Dei regeneratum, ac nouum hominem: non veterem creaturam, quæ ex Adam est. Hinc illud est Hierem. 31. Dabo legem meam in viscera eorum, & in cor eorum scribam eam, &c. Excluduntur ergo hîc vniuersi carnales & hypocritæ, & solis electis ac regeneratis vera ista felicitas relinquatur. Nisi quis, inquit Christus, natus fuerit è supernis, non potest videre regnum Dei. Ioan. 3.

Roman. 8.

Et in lege eius meditatur.] Recto ordine voluntati diuinæ legis amanti meditationem subiecit. Neque enim illa, si vera sit, hanc præcedit: neque hæc otiosa est, vt illam non pariat. Cauendum autem est, ne meditationem hanc cogitationibus, & oris garritu terminemus: cum omnem vitam iusti hominis, omnia cogitata, dicta & facta includat. Huc enim se extendit, vt voluntati DEI sat fiat. Sic Psalmo quadragesimo: Ad faciendum, inquit, voluntatem tuam Deus meus volui *ἠγαπή* & lex tua in medio cordis mei. In medio cordis, tanquam venis quibusdam fontis scaturientis constituta lex Dei, ore & opere promanat. Et Iosue 1. Meditaberis in eo diebus ac noctibus vt custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo.

OBSER.  
V.

Die ac nocte.] Discriminat etiam hæc particula inter verè pios & hypocritas. Hi quoniam lege Dei ex animo delectantur, in ea absque intermissione constanter ac perseveranter meditantur: hypocritæ verò, vel qui aliàs per occasionem in meditationem legis qualemcunque incidunt, quoniam, quod faciunt, verò legis amore non faciunt, sed obiter & perfunctoriè citò deficiunt. Perinde ac si fontem, cuius venæ aquis viuus scaturiant, nocte ac die fluere: cisternam verò, quæ aquam aliunde illatam habet, modico æstatis calore exsiccare videas.

OBSER.  
VI.

3. *Et est velut lignum plantatum super riuos aquarum, quod fructum suum dat in A tempore suo, & folium eius non defluit, & quicquid facit, prosperatur.*

**LECTIO.** *Et est.* ] Ebr. *והוא* id est, *Et fuit.* Chald. *והוא* Græcus, *ὁ* id est, *et erit.* Quod fructum suum dat ] Ebr. *והוא* id est, dabit, sicut & Græc Chald. *והוא* id est, *Et fructum suum concoquens, ad maturitatem producens. Et folium eius non defluit.* ] Ebr. *והוא* id est, *non decider.* Quanquam sunt qui non legendum putant, *Defluet* aut *decider.* sed, *marcescet*: eo quod *גבול* significet *cadere*, *גבול* verò *marcescere.* Verùm sensui nihil decedit. Nam casus iste foliorum exiccationem in se concludit. Et nos Germani de corporib. exiccatis dicimus, *Der Mensch ist gar verfallen.* Chal. sic, *והוא* id est, *Et folia eius non marcesca, non defluentia Et quicquid facit, prosperatur.* ] Ebr. *והוא* id est, *Et omne quod facit, prosperabitur.* Chald. iterum in præfenti reddidit.

**EXPLANATIO.**

Similitudinem hoc versu Propheta inducit, sumptam de arbore & viridi & frugifera, & simul ita constituta, vt tempore siccitatis nihil patiat incommodi, vt pote ad scaturigines aquarum plantata. Declarat autem hoc similitudinem, quare hominem iustum, qui non ambulat in consilio impiorum, & sed lege Dei ita delectatur, vt noctes ac dies in illa meditetur, beatum prædicet. Ponit autem quatuor felicitatis huius notas. Primam, quod veluti fluentis diuinæ gratiæ irrigetur. Hoc innuit, cum dicit: *Et est velut arbor plantata secus riuos aquarum.* Alteram, quod cœlestem gratiam non frustra insumat, sed per hanc ita fecundet, vt fructus suos adferat. Loquitur autem de fidei, spei, patientiæ, charitatis & omnis pietatis fructibus. Hoc significat, dicens: *Quod fructum suum dat in tempore suo.* Tertiam, quod hac cœlesti gratia constanter ac perpetuo fruatur. Id significat, cum dicit: *Et folium eius non defluit* id est, perpetuo sui similis est. Quartam, quod omnia illius instituta ac facta diuinitus dirigantur. Sic dicit: *Et quodcumque facit, prosperatur.* Postremam hanc particulam Chaldæus sic reddidit, *והוא* id est: *Et omne germen quod germinat, grauescit & prosperatur.* vt illud: *Quodcumque facit, de fructibus arboris bonæ secundum consuetam loquutionem iacob gamus, qua arborem bonam bonos, malam malos fructus facere dicimus. Hæc enim arbor non solum fructus bonos progerminat, sed hos etiam ad iustam maturitatem prouehit. Vfus est hoc simili & Hierem. capite 17.*

**OBSER.**  
I.

*Et est velut* ] Principio notandum est, quod rem planè spiritalem ac tanti momenti Propheta non simpliciter ac nudè, vt comparata est sed similitudine rei terrenæ, notissimæ, ac passim obuiz, ob oculos visendam & palpandam exponit. Mirabile consilium Spiritus sancti hoc & consimilibus alijs locis considerandum venit. Res ipsa, quam hic Propheta depingit, iam inde ab initio seculi ad finem vsque, in iustis ipso Mundo spectante perficitur: & interim ea est humani cordis cæcitas ac stupiditas, vt manifesta diuinæ gratiæ indicia, in pijs ac DEI timentibus reluctantiâ, non obseruentur. Inducuntur ergo res inanimatæ ac mutæ, quæ gratiam DEI in iustis operantem, se sequè conspicuè exerentem, viriditate ac fertilitate sua deprædicent. Potuisset Vates aliquem ex præfatis Patriarchis exempli loco inducere, in quo hæc omnia, quæ simile hoc arboris bonæ complectitur, declarasset: verùm nescio quid fiat, vt plus lucis propolita secundæ arboris similitudo, animo simplici, cui hic feruitur, obijciat. Simul etiam notandum est, quod sit in obseruandis operibus DEI piorum hominum studium & ingenium. Vbiq; inueniunt, vnde rerum spiritalium admonentur. Perpetua hæc est in animis illorum anagoge, vt à terrenarum rerum formis ad spiritalia contemplanda ascendant. Plena sunt illorum pectora cogitationibus, considerationibus, & sensu rerum spiritalium. vnde fit, vt harum vndecunque ex terrenarum rerum conspectu admonentur. Vt enim carnalis animus terrenarum rerum concupiscentijs refertus, etiam sacrarum rerum visa, auditu, & quocunque obiectu, eorum admonetur, quæ cogitationibus impuris noctes ac dies versat: ita conrario modo spiritalis homo, è quacunque re terrena pietatis, quam in corde fouet, argumenta ducit. Hinc est, quod Prophetarum & CHRISTI doctrina tam est parabolis, metaphoris, ac similibus referta, præsertim de arboribus sumptis: quibus vel benedictio iustorum, nunc vitis, nunc oliuæ, nunc palmæ frugiferæ, sicuti quidam hoc versu fieri putant, propterea quod de folijs non marcescentibus memoratur: vel reproborum malitia, nocendique studium spinis, vt Iudic. nono vel malorum potentia ac fastus cedris sublimibus ac quercubus robustis, quæ non nisi magno casu alliduntur, Esaiæ 2. vel impiorum sterilitas viti, post diligentem curam nil nisi abruscas ferenti, Esaiæ quinto ac ficui sterili, Lu. decimo tertio: vel sanctitatis species & hypocritis ficui inani quidem, sed simul virenti, Matthæi vigesimo primo, comparatur. ita omnis generis cum bonorum tum malorum imagines in arboribus inueniunt hi, qui sensu harum rerum tanguntur.

**OBSER.**  
II.

*Lignum.* ] Notandum est & hoc, quod ligni dictione Spiritus sanctus arborem significat. In materia per se vili diuinæ benedictionis efficaciam considerandam proponit. Tolle ligno incrementi viriditatis ac fertilitatis benedictionem, quæ loquid residui erit, nisi materia quædam corruptibilis, & plerunque igni destinata? Res speciosa arbor viridis, iucunda & vitis arbor fecunda: sed si materia iniquitas, lignum est non minus quàm sterile ac malæ arbores. Beatus & spectabilis est vir iustus, qui hac imagine depingitur: sed si materiam cogites, terra est perinde atque reprobis & impijs. Quod lignum cortice vestitur, viriditate foliorum decoratur, ac fertilitatis bonitate fructiferum redditur, cœlesti benedictioni, non materiæ per se inani ac sterili, debetur. Ita quod terra ac vili seò euehiatur, vt non solum homo, sed & iustus ac pius homo fiat, certè non est materiæ tam vili, sed diuinæ deputandum virtuti: quæ solat ex ligno bonas arbores, ita ex terra bonos homines facit. Quando igitur audimus, bonas arbores lignum, & hominem

**A**minem terram vocari: non contemnamus creaturas Dei, sed admirabilem conditoris virtutem adoremus.

*Plantatum.* ] 1. Diuersæ sunt arborum species. Aliæ nullo cultu sponte sua proueniunt, aliæ nostra manu satę procedunt. Illę syluestres sunt ac ferę: istę verò mitiores, ac frugibus aptiores. Syluestres igitur plantatione velut regenerantur, & ex feris in mitem ac frugiferam naturam transeunt. Rectę itaq; hic iustus noster non cuius ligno, sed plantato comparatur. Est enim mente regeneratus, diuinoq; cultu ex syluestri, fera ac sterili natura, in mitem, benignam ac frugiferam, ex carnali & corrupta in spiritalem ac sinceram translatus. Natura deprauatus, cœlesti verò ope restitutus ac reformatus: qui antea impius erat, plantationis beneficio pius est factus.

Admonemur itaque *plantandi* dictione, felicitatem hanc iusti hominibus primæ non competere natiuitati, quę ex Adam est corrupta, fera, & peccatis obnoxia: sed necessariò cœlestem opem requirere, qua regeneremur, & ex impijs iusti reddamur. 2. Deinde cogitandum nobis proponitur, quanta sit illa erga nos cœlestis Patris cura ac diligentia, qua, cum perdiu essemus, velut diligens agricola plantandi nobis ope succurrit. Vide *Esaię 5.* E' regno Satanę transtulit nos in regnum Filij sui: ex oleastro desumptos oliuę inseruit, imò verę viti, Filio suo: *Ioannis 15.* Administratur autem hæc plantatio per doctrinam regni Dei. Sic Paulus *1. Corinth 3.* Ego plantaui, Apollo rigauit: Deus autem incrementum dedit. Deinde, cœlestis ista plantatio suam habet stabilitatem, vt nullis aduersarijs viribus extirpetur. Omnis plantatio, inquit, quam non plantauit cœlestis Pater, eradicabitur. Ergo quam ille plantauit, non eradicabitur. *2. Reg. 7.* Et ponam, inquit, locum populo meo *Israël,* & plantabo eum, & habitabo cum eo, & non turbabitur ampliùs. Alijs verbis Christus idem dicit: Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portę inferi non præualebunt aduersus eam.

OBSER. III.

Coloss. 1. Rom. 11.

Math. 15.

Math. 16.

*Super riuos aquarum.* ] 1. Non est omnibus arboribus conducibile, vt super riuos aquarum plantentur. Loquitur ergo Propheta de eo arborum genere, quod riuis aquarū gaudeat. Gaudet autem illis palma, nobilis in sacris Scripturis arbor: propterea quòd *Iudæa,* vt *Plinius* scribit, palmis est inclinata, præsertim circa *Hiericunta.* Palma, inquit, riguis, & toto anno bibere gaudet. Gignitur enim leui fabulosaq; terra. Quid nō aliud innuitur, siue de palma Propheta loquitur, siue de alio quopiam bonarum arborum genere, quàm, etiam iustum hunc perpetuò opus habere, vt fluentia cœlestis gratiæ bibat: & nisi hoc sit, nec vivere, nec consistere, nec fructificare posse, vt pote alioqui velut in sterili solo, in corpore hoc peccati constitutum? Radices: hoc est, fidem, spem, charitatem, patientiam, &c. ad fluentia cœlestia mittit, vnde gratiam & benedictionem ad se perpetuò trahit. *Ezechielis 47.* dicuntur aquę istę è sanctuario fluere. Sanctuarium hoc Christus est. Vnde aquę fluunt salientes in vitam æternam, quas credentes bibunt, ideoq; nunquam sitiunt: *Iohannis 7.* Aquarum istarum typum riuus è petra deserti promanans exhibuerunt. Petra enim Christus erat: vnde bibunt omnes electi. De huius plenitudine omnes accipiunt, gratiam pro gratia. Inexhausta est fontis huius plenitudo, vnde cœlestes riuus promanant. Mundi huius gratia, quamcunq; protuleris, nec plena, nec firma, nec perennis, sed imperfecta, infirma & deficiens est. Erunt ergo qui ad hanc radices mittunt, velut myricę in deserto, &c. *Hier. 17.*

OBSER. IV.

Plin. lib. 13. c. 4.

Rom. 7. que riuus Ap. st. lus, non esse in carne sua bonum.

Ephes 3. In charitate radicati.

Coloss. 2. Radicati & super edificati ac confirmati in fide.

Exod. 17. 1. Cor. 10. Ioan. 1.

2. Notandum simul est, quòd non simpliciter dicit, *Et est velut lignum plantatū super aquas:* sed *על ריבים ואלו:* id est *super riuos aquarum.* Sunt autem *ריבים,* diuisiones. Rectę. Nam cœlestis quoq; gratiæ diuisiones sunt, licet idem sit fons, vnde riuuli illius scaturiant. Diuisiones gratiarum sunt, inquit *Apostolus,* idem autem spiritus. Vide has diuisiones, *1. Corinth. 12.* Ita hic iustus noster non vniterfam gratiam spiritus bibit, sed super riuos illius plantatus, pro mensura donationis Christi, quę sibi sunt deputata, ad se trahit. Plenitudo spiritus vni Christo competit.

OBSER. V.

*Quod fructum suum dat in tempore suo.* ] Arbor sterili maledictioni est obnoxia, & indigna quę solum occupet: rursus quę frugifera est, benedictione ac cultu digna habetur. Ita iustus noster gratiam Dei non in vanum adeptus, sterili non est, sed fructus suos pro mensura benedictionis acceptę velut arbor bona producit. 1. Est itaq; hoc loco notandum, primùm, quòd qui verē iustitia præditus est, sterili non est, sed frugifer. Non dicit, *Quod malum fructum non dat:* nam idem & de sterili potest arbore dici: sed, *Quod fructum dat.* Ex fructu cognoscitur arbor, inquit *Dominus.* Siquidem hac in re argumentum est verę iustitię, si iustitię fructus tulerimus. Non potest arbor bona malos, mala bonos fructus facere. Declaremus igitur ipsis fructibus quales simus, pii ne, vel impij.

2. Deinde notandum est, quòd fructificationem plantationi & irrigationi subiecit. Præcedat enim oportet iustificationis quę per fidem est gratia, antequam bonorum operum fecunditas præstetur. Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos, inquit *Christus:* aut malam, & fructus eius malos. Sed quis est, qui ex impio iustum faciat, nisi solus Deus? Deus est, inquit *Apostolus,* qui iustificat impium. Hinc *Augustinus* epistola 106: Opera, inquit, ex gratia: non ex operibus gratia. Quoniam fides, quę per dilectionem operatur, nihil operaretur, nisi ipsa dilectio Dei diffunderetur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Nec ipsa fides esset in nobis, nisi Deus vtique partiretur mensuram fidei. Et de fide & operibus c. 14. Opera, inquit, sequuntur iustificationem, non præcedunt iustificandam. Hęc ille. Et hæc nostra felix arbor, vnde fructus suos ferret, nisi & plantata, & ad riuos aquarum plantata, assidua humectatione irrigaretur.

3. Tertio, obseruemus & hoc, quòd arbori huic fructuum fecunditas benedictionis ac felicitatis loco connumeratur. Quamquam enim felicitas in ijs tantum esse videtur, quę nostro bono aliunde accepimus, & non in ijs quę ad aliorum vsum à nobis proficiscuntur: sicuti arbori isti plantatione, humectatio, perpetua foliorum viriditas, & eorum quę facit prosperitas, commodare videntur: fru-

itur: fructuum verò prolatio, qua alijs seruit, non item: videmus tamen hîc etiam hanc felicitatis loco deputari. Non dicit, *Quod fructum accipit*: sed, *Quod fructum dat*. Admonemur itaque hoc loco, felicem esse eum, qui alijs operum suorum bonitate prodest: infelicem verò, qui nemini commodat. Auari etiam opulentissimi, infelices sunt. Miserum est aliunde accipere, & nemini vicissim prodesse. Quis eum fontem felicem vocet, qui aquam non alijs, sed sibi soli accipiat? Sic Apostolus Actuum 20. *Beatius est, inquit, dare, magis quàm accipere*. Nec dubito, quin 1. Timoth. 1. & 6. Deum non minus propterea beatum vocet, quòd dat omnibus omnia superabundanter, quàm quòd per se nulli. us rei est indigus.

4. Quarto. Nec hoc frustra est, quòd non simpliciter dicit, *Dat fructum*: sed, *Dat fructum suum*. Quælibet arbor suos fructus producit, mala malos, bona bonos: rursus alios pirus, alios cerasus, alios palma, quæq; secundum genus suum, &c. ad hæc alia plures, alia pauciores. Ita & hic iustus noster suos fructus producit, secundum bonitatem suam, genus suum, ac mensuram donationis Christi. Ergo pij homines primùm secundum qualitatem spiritus diuinitus accepti fructificant. Acceperunt autem spiritum bonum, & per hunc charitatem infusam: ergo bonos fructus, id est, charitatis opera proferunt. De fructibus spiritus vide Apostolum Galat. 6. Deinde, fructus piorum non sunt vnius generis. Alius docet, alius consolatur, alius cibam, alius hospitium sumit, &c. Sunt enim varia spiritus sancti charismata. Tertiò, non est hîc eadem bonorum fructuum copia. Alius plus, alius minus fructificat. Quisq; pro sua mensura quod bonum est operatur. Nota est parabola seminis in terram *Math. 13.* *Marc. 12.* bonam iacti, vbi fructum dat aliud centuplum, aliud sexagecuplum, aliud trigeuplum. fructus isti non mensura, sed qualitate & effectu æstimantur. Bonus fructus erat oblatio viduæ, licet vnius tantum quadrantis.

5. Quintò. Etiam hoc notanter est adiectum, quòd dicit: *In tempore suo*. Quælibet arbor suum habet fructificandi tempus. In genere quidem ætatis tempus, omnibus est fructificandi tempus. Quæ ætate sterilis est, hyeme fecunda non erit. Verùm aliæ alijs maturius, aliæ tardius fructificant. Cerasus ætatis initio, morus omnium arborum postrema floret. Quod est autem iusto nostro fructificandi tempus? Habet & ille suam tempestatem, sed ea nulli certo anni tempori alligatur. Tempus benefaciendi, omnibus est occasionebus oblati annexum. Conspicitur alienæ miseris tempus illi est miserendi: tempus necessitatis alienæ, tempus est benefaciendi. Samaritano tempus miserendi ac benefaciendi ex vulnerati conspecta miseria & necessitate offerebatur. Sed hoc benefaciendi tempus nec Sacerdos, nec Leuita agnoscebat: non enim erant bonæ arbores. Tempus benefaciendi diuini offerebatur, cum ante illius ædes iaceret Lazarus. Sed & hic sterilis arbor erat. Non excludit hæc particula iugem beneficentiam, quam Apostolus in homine pio requirit, dicens: Bonum *Gal. 6.* autem facientes non deficiamus. & cuius Propheta meminit, cum dicit: Nec desinit facere fructum. *B Hier. 17.* & Dauid Psal. 37: *Tota die miseretur, & cõmodat. sed hanc magis statuit. Nunquã enim officio suo deerit, qui suo quælibet tempore perficit. Dum tempus habemus, inquit idem Apostolus, operemur quod bonum est, erga omnes. Nequit hoc fieri, nisi opportunum sit, nisi locus sit, nisi occasio detur. Nisi in vulneratum incidisset Samaritanus, nullam eius beneficij occasionem inuenisset. Dandum est quidem semper, & omnibus: sed vbi necesse est, vbi charitas omnibus benefaciens locum habet. Omni petenti te, inquit Dominus, tribue. Quid si non sit qui petat? Quid si qui petat, ad res noxias & illicitas petat? Est ergo quidem omnis iusti vita benefaciendi tempus: verùm ita, vt iuxta oblatas occasiones bona sua dispenset*

**OBSER. VI.** *Et folium eius non defluit.* Totidem verbis & Ezechiel perennem hanc iusti viriditatem c. 47. ponit, dicens, לא יירלעל אה, id est, non flaccescit, vel inarescit, aut decidit folium eius. Non est cuiuslibet arboris ista viriditatis perpetuitas: est autem palmæ. Ratio illius est, quòd perpetuò humectatur: necessitas, quòd perpetuò simul & floret, & fructus habet. Nam, vt Plinius scribit, triennio fructus illius maturefcunt, & semper illi pomum est, subnascente alio: ad quam rem necessarium est, vt foliorum illi viriditas maneat. Et iustus noster, inquit Propheta, Psalm. 92. sicut palma floret. Et illi itaque necesse est, vt & ætatis & hyemis vim iuxta toleret, semper virens, semper sui similis, perpetuò alacer & immotus: ad quam rem illi perpetua spiritus sancti fluentia suppeditantur. Viriditas impiorum temporaria est: vnde quercui folijs inarescentibus ac deciduis præditæ comparantur. Huius admoneamur, quoties in autumnno arbores per ætatem virides folijs priuari ac nudari viderimus. Iusti verò perpetuò quasi vernantes ac frondentes, & sibijpsis solida animi alacritate constant: & quos fructus adferunt, illibata hilaritate, ne marcescant ac pereant, velut fronde perpetuò virenti contegunt, & contra quamuis iniuriam fouent ac prouehunt: & præterea amœnum & lucidum sanctæ, honestæ ac compositæ vitæ spectaculum quibusuis obijciunt.

**OBSER. VII.** *Et quicquid facit, prosperatur.* Summopere notanda est hæc particula. Docemur hîc, rerum prosperitatem non esse nisi à Deo, illamque dari iustis, ac Dei timentibus. horum enim opera Deus dirigit, sicut de Ioseph Gen. 39. legimus: *Fuit Dominus, inquit, cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens. Et Dominus erat cum eo, & omnia opera eius dirigebat.* Et de Ezechia: *In omnibus, inquit, operibus suis fecit prosperè quæ voluit. Et Iosaphat, 2. Par. 20. dicebat ad populum: Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite prophetis eius, & cuncta euenient prospera.* Et Apostolus Rom. 8: *Diligentibus Deum, inquit, omnia cooperantur in bonum. Si respicias eam prosperitatem quæ seculi huius est, ob quam impij insolescunt, per quam stulti perduntur: certè non omnia prospera iustis, sed plurima aduersa accidunt. At hîc Propheta non de hac prosperitate loquitur, sed de ea, qua opera iusti à Domino diriguntur. Quicquid facit, inquit, prosperatur. non autem loquitur de operibus carnis, sed de fructibus spiritus. Quicquid ex carne est, præsertim iustis, male cedit*

**A** Iē cedit: at rursus quicquid ex spiritu Dei ab illis geritur, non potest non prosperari. Impijs verò dicitur: **Etum est: Nihil habebitis prosperum: Hierem. 2.**

ALTERA PSALMI PARS.

**4. Non sic impij, sed veluti pulvis, quem projicit ventus.**

Illud, *Non sic*, Septuaginta repetunt, sic reddentes, *ὅχι ὅτως οἱ ἀσέβεις, ἕχ ὅτως*: *Non sic impij, non sic*. Et in fine versus addunt, *ἀπὸ πνεύματος ἁγίου*: id est, *à facie terræ*. Et Arabs versionem Septuaginta sequutus magis quàm Ebræam lectionem, & ipse sic reddidit, *לא לא כן הרשעים לא לא*: id est, *Non sic impij, non sic*. Et in fine versus *פְּרוּץ הָאָרֶץ* id est, *à facie terræ*. quod vehementer miror, cum Arabum lingua nihil prorsus affinitatis cum Græca, plurimum verò cum Ebræa habeat. *Velut pulvis*. *פְּרוּץ* id est, *velut quisquilia, velut gluma*. Illud, *Quem projicit ventus*: & in Ebræo & Chaldæo in futuro ponitur, *Quem projiciet*. Vel hîc videmus, non esse huius linguæ interpreti adhærendum verborum formis: sed videndum, ut sensum illorum commodè reddat. Alioqui cur non etiam hoc loco & Græcus & Latinus in futuro reddiderunt? Et quod hîc factum est, quare non liceret & alijs locis facere, quibus æquè commodum est atq; istò: Chaldæus pro vento posuit *מַעַרְבַּי*: id est, *ventum furentem ac tempestuosum*.

EXPLANATIO.

Hac altera Psalmi parte Propheta imagini iusti, perpetua felicitate florentis, eam quæ impiorum est subijcit. Sunt autem duæ versus huius partes. Prima, cum dicit: *Non sic impij*: pernegat eandem esse impiorum fortem, cum ea quæ piorum est: affirmat illos eam felicitatem non assequi, quam iusto tribuit: hoc est, non esse illos velut lignum plantatum super rivus aquarum, &c.

Altera verò fortem illorum planè diuersam subijcit, dicens: *Sed velut quisquilia, quas projicit ventus*. Quantum enim discriminis est inter quisquillas vento agitata, & arborem adscaturigines aquarum plantatam, frugiferam, semper vernantem, & vbique prosperam: tantum utique, imò plus, est inter iustam & impium. Nec immeritò. Quomodo namq; forte ac felicitate pares esse possent, qui ingenio & animi qualitate tantopere dissident? Non caret autem ratione, quòd non arbori humore destitute, sterili & arefcenti, sed quisquilijs, idq; non simpliciter, sed à vento proiectis, impium comparat. Visum est enim, non satis exprimi posse istam piorum & impiorum diuersitatem, ut & reuera ne hoc quidem simili satis depingitur.

*Non sic impij* ] Videmus hîc, quàm non sit impiorum prosperitas carnalibus, sed planè spiritualibus oculis dijudicanda. Etenim, quam Spiritus sanctus hic impijs felicitatem adimit, hanc illis potissimum Mundus tribuit, quos instar cedrorum & palmarum habere iudicat. Proinde opus est, ut hanc pernegationem fidei oculis adspiciamus, nec quæ extrinsecus in hoc seculo apparent, certa ac solida esse putemus: sed potius finem illorum prospiciamus, ac nouissima eorum intelligamus.

*Sed velut pulvis*. ] Notemus hîc inanitatē omnis opulentiæ & gloriæ & potentiæ impiorum, quam Spiritus sanctus dictione quisquiliarum non hoc solum loco, sed etiam infra Psalmo 35. & Esaiæ 17. exprimit. Quid, obsecro, quisquilijs inanius, leuius, mobilius, & fugacius? At tales sunt omnes impij, quantumuis in hoc seculo videantur omnium esse solidissimi, grauiissimi ac potentissimi, itaque radices egisse, ut nullis viribus moueri posse putentur. Seponenda igitur ex oculis sunt impiorum spectra, quibus dii quidam, & ipsi cælo quoque, nedum inferioribus, formidabiles apparent.

*Quem projicit ventus*. ] Vide, non satis est, quòd felices non sunt impij, sicut pij: deinde quòd quisquilijs similes, omnium sunt inanissimi: nisi & diuinæ potentiæ, iustæ & vlticæ, ad perpetuam sint & omnimodam perditionem obnoxij. Non est miserum satis, esse sicut quisquilia: accedit & ventus dispergens, ac propulsans. Quis iam impijs hanc illorum felicitatem, qua in hoc seculo insolescunt, inuidebit? Quis non magis tanquam omnium miserrimos & infelicissimos miserabitur?

Simul etiam notandum, quàm aptè inuisibilem illam iudicij Dei potentiam, impiorum vlticem, vento comparet: qui ad eò est inobseruabilis, ut nescias vnde, quando & quò eat. Ita ceterè inuisa illa cælestis vltio, omnibus est impijs inobseruabilis: quam non presentunt, donec impulsu illius exagitentur ac disturbentur.

**5. Ideo non stabunt impij in iudicio, & peccatores in congregatione iustorum.**

*Non stabunt*. ] Ebr. habet, *לֹא יִקְוּ*: id est, *non stabunt, non consistent*. Græci reddiderunt, *ἐν ἀναστροφῇ*: id est, *non resurgent*. quæ lectio periculosa est, si ad carnis resurrectionem trahatur. Resurgent enim & impij in die iudicij: in iudicio verò non consistent, sed condemnabuntur: itaque auferentur, ut in congregatione iustorum nullum sint habituri locum.

Illud, *In iudicio*, Chaldæus sic reddidit, *בְּיַמֵּי דִּינָא רַבָּא*: id est, *in die iudicij magni*: ut extremum iudicium exprimeret, quod verè magnum erit. Iudicabitur enim in illo totus Orbis. Arabs vertit *בְּסוּף*: id est, *in fine*: & ipse extremum illud iudicium, quod in fine Mundi futurum est, notans.

Quod Ebr. habet, *בְּעֵצָה דִּינָא*: id est, *in congregatione iustorum*, Græcus vertit, *ἐν βουλή δίκαιοι*: id est, *in consilio iustorum*. Legit opinor *בעצה בעצה* pro *בערת*.

Duo facit hoc versu Vates. Primum ex præmissa quisquiliarum similitudine infert, impios iudicium Dei non laturos, sed in eo prorsus condemnandos esse, ac perituros. Non dicit simpliciter, *Non stabunt*: sed, *Ideo non stabunt*. Quare? Quia sunt inanes, in morem quisquiliarum, coram Deo videlicet: cum in hoc Mundo videantur esse immotæ quædam rupes. Deinde quòd *de vento quisquilijs projiciente posuit*, declarat, docens iudicium Dei id futurum impijs, quòd ventus est quisquilijs: ut perinde atque

LECTIO.

OBSER. I.

OBSER. II.

OBSER. III.

LECTIO.

EXPLANATIO.

- que quisquiliæ ante faciem venti, ita impij in iudicio Dei consistere nequeant.
- OBSER. I.** *Ideo non stabunt impij.]* Observanda est hæc prophetia. Non dicit, *Ideo non stabunt impij;* sed, *Ideo non stabunt impij.* Nam in hoc seculo nemo robustius ac solidius stare videtur, quam impijissimus quisque: at erit aliquando tempus, quo non stabunt impij. Verum & hîc erit illud: Heus heus, omnium rerum vicissitudo. Est ergo omnibus impijs destinata ruina, quam nolint velint aliquando eò experientur graviorem, quò in hoc seculo subimiora occupant, & radices altius egisse videntur.
- OBSER. II.** *In iudicio.]* Minatur futurum iudicium, atque ita tempus hoc determinat, quo casuri sint impij. Tempus erit aliquando, quo omnia vocabuntur in iudicium. Seculum hoc temeritatis plenum est: in locis iustitiæ regnat iniquitas, florent & stant impij, flaccescunt & iacent pij. Claudetur verò totius Mundi fabula, iudiciaria, hoc est, omnium iustissima ac meritissima catastrophe, qua nudabuntur omnia, itaq; in ordinem redigentur, vt pij gloriam & salutem, impij perpetuam confusionem ac perditionem inueniant. Obtinebit tandem iustitia, profligabiturq; iniquitas omnis. Qualis qualis hic Mundus sit, quantumuis impius & iniustus iusto, tamen sine claudetur. Non dicit, *Ideo non stabunt impij in ira & potentia Dei;* sed, *In iudicio.* Nemini fiet in iusto iudicio iniuria. Neq; enim tyrannide Deus & iniustitia Mundo huic improbissimo & iniustissimo finem imponet, sed iudicio & iustitia. Vnde colligimus, seculum hoc per conniuentiam ac patientiam Dei hæctenus stare, alioqui inducto iudicio periturum.
- OBSER. III.** *Et peccatores.]* Cauendum hîc, ne infirmis conscientijs desperationis causa obijciatur. Quis enim ita iustus est, vt à peccatis peorsus liber sit, suaque iustitia fretus in iudicio Dei consistere possit? *Si dixerimus, inquit Iohannes, non habere nos peccatum, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et hic ipse Propheta Psalm. 130: *Si iniquitates, inquit, obseraueris Domine, Domine, quis permanebit?* Et Psalm. 143. *Et ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* At hîc peccatores impijs coniungit, & vtrîq; minatur, quò staturi non sint in iudicio. Sciendum igitur, duplex esse peccatorum genus: vnum ex carnis infirmitate contra animi sententiam peccantium, respicientium tamen, dolentium, & veniam peccatorum fide in Christum acquirantium: alterum ex impietate & destinata malitia, sine omni respicientia peccatis studentium, ac gratiam Christi respicientium; de quibus & primo & hoc præsentî versu loquitur. Certè illi, tanquam impij & contemptores gratiæ Dei, in iudicio causa cadent. Priores verò, propter fidem in Christum, in iudicium non venient, sed transibunt de morte in vitam: Iohan. 5. Nam alioqui nemo in se vsq; adeò iustus est, vt propria sua iustitia in iudicio consistere possit. Proinde opus est, vt Christi iustitia conseruemur, ne in iudicium inducamur, qui peccato primi Adæ cecidimus. Sic Apostolus 1. Corinth. 1. Christum nobis à Deo iustitiam, sanctificationem & redemptionem factum esse dicit Et Roman. 5. Sicut per inobedientiam, inquit, vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi.
- OBSER. IV.** *In congregatione iustorum.]* Notandum hîc est, primùm quòd eos, quorum felicitatem in hoc Psalmo prædicat, qui in consilio impiorum non ambulant, &c. sed lege Dei delectantur, inq; illa noctes ac dies meditantur, יְדַבְּרוּ יְדַבְּרוּ id est, iustos vocat. Est autem דַּבְּרוּ id est, iustitiam, in Scripturis non ea modo, qua vniciq; quod suum est tribuitur, & omnis peccat: ac delicti iniquitas excluditur, secundum quam certè solus Deus iustus est: sed & qua boni, benigni ac placidi reddimur: vt hoc sensu דַּבְּרוּ id est, iustitia, idem sit quod bonitas, sicut omnino Psalm. 51. posita est, cum dicit: Libera me de sanguinibus. Deus, Deus salutis meæ, & exultabit lingua mea (prædicando) דַּבְּרוּ id est, iustitiam tuam. Etenim iustitiam priorem illam iudiciariam, & peccatores punientem, non diceret se prædicaturum cum exultatione, si à peccato sanguinis liberaretur. Et Psalm. 69. vers. 27. Appone iniquitatem, inquit, super iniquitatem eorum, & non veniant ad iustitiam tuam. Certè ad iustitiam Dei venient impij, qua de impietate illorū pœna sumetur: ad bonitatem verò Dei non venient. Et Psalm. 116. Clemens Dominus, inquit, & iustus, & Deus noster miseretur. vbi iustum pro bono dixit. Et Psalm. 145: Memoriam magnæ bonitatis tuæ loquentur, & iustitiam tuam cantabunt. Clemens & misericors Dominus, lentus ira, & magnus misericordia. Quid hîc aliud quàm bonitas Dei, peccatis mortalium ignoscens, prædicatur, vbi iustitiæ peccatores punienti locus esse nequit? Vnde & Græci dictionem δικαιοσύνη, quæ absq; vlla controuersia bonitatem significat, per δικαιοσύνη id est, iustitiam, plerunq; reddunt. Vt Genes. 19. vbi Loth sic dicit, יְהוָה חַסְדֵּךְ וְרַחֲמֶיךָ אֵלֹהִים, illi verterunt, καὶ ἡμεῖς ἀγαπᾶς τὸν δικαιοσύνην σου. Et Genes. 20. vers. 13. וְהוֹדוּ אֱלֹהִים אֲשֶׁר הָעֵשָׂה עִמָּדִי, quod sic reddiderunt, καὶ ἠλάλησάν τὸν δικαιοσύνην σου ἡμεῖς. Eodem modo & c. 21. vers. 24. & 27. חַסְדֵּךְ, per δικαιοσύνην interpretati sunt. Hunc sensum nos Germani exprimimus, quando virum bonum, probum, miti ac placido ingenio præditum, ein guten frommen Mann vocamus. Itaq; si priore sensu pios hîc iustos Propheta vocat, facit hoc propter iustitiæ imputationem, quæ per fidem est, & propter studium iustitiæ, cui dediti sunt pij, sicut vers. 2. de illis prædicauit: deniq; & per collationem quia respectu impiorum iusti dici possunt. Posteriore verò sententia, ingenium piorum probum, placidum ac bonum exprimitur, quod omnino in illis alienum à versutia & improbitate relucet. Cauendum igitur, ne pios ob id iustos in Scripturis dici putemus, quòd peccatis careant: quibus & ipsi, donec in corpore peccati detineantur, obnoxij suat, vt sine intermissione orare cogantur: Remitte nobis debita nostra, &c.
2. Deinde & hoc obseruandum est, quòd congregationem iustis in de iudicij futuram tribuit. In hoc seculo, vbi princeps Mundi regnat, coeunt, conspirant omnia possunt, omnia replent, passim obtinent impij: dispersi sunt iusti, segregati, abieci, rari verum illi tandè vice uersa, proiectis quisquiliarum in morè impijs, ad vniuersalia illa comitia, quibus Christus verus Imperator, Dominus dominantium, splendidissima maiestate præsidebit, congregabuntur. Hac de re Christus ipse Matth. 24. ad hunc

A, ad hunc modum prædixit: Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & maiestate: & mittet angelos suos cum turba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis cœli, à summo cœlorum vsque ad terminos eorum. Quocumque dispersi, congregabuntur ad eam gloriam, quam diligentibus se Deus ante iacta Mundi fundamenta præparauit. Rapiemur in nubibus, inquit Apostolus, obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. 1. Theff. 4.

TERTIA PSALMI PARS.

Quoniam nouit Dominus viam iustorum, & via impiorum peribit.

Illud, Quoniam nouit, hoc loco idem est atq; Quoniam approbat, vel curæ habet, quemadmodum & Psal. 37. vers. 18. sumitur, vbi legitur, *ידע יימי תמימי*: id est, Nouit Dominus dies integrorum. Nā alioqui, si simpliciter hoc verbum pro eo quod est scire & intelligere accipias, sensum Prophetæ amittes: & præter rationem erit dicere, quod viam iustorum sciat, cum nec impiorum vias ignoret. At hinc Vates Dominum viam iustorum ideo nosse dicit, vt causam doceat, quare illis omnia prospere cedant. Iam si ideo bene est iustis, quod viam illorum Dominus non ignorat: eadem ratione bene erit & impijs, quorum vtiq; omnia nouit. Proinde quod hinc dicit: Quoniam nouit Dominus viam iustorum: idem est atq; Quoniam placet Domino via iustorum: vt idem sit quod Psal. 37. vers. 23. alijs verbis sic ponitur, *דרכי צדק יישרו*: id est, Et via eius delectatur. Ideo de via impiorum non dicit, quod à Domino cognoscatur, sed quod sit peritura. Sic Matthæi 7. minatur se Dominus dicturum hypocritis: Non noui, vos.

vers. vlt. LECTIO.

Hactaq; tertia Psalms parte Vates præcedenti piorum & impiorum discrimini, & impari forti causam vnico hoc versiculo subiicit, qua doceat, quare beati sint pii, & infelices impij: quare illi sint ad æternam felicitatem congregandi, isti diuini iudicij vento in morè quisquiliarum proijciendi. Quoniam, inquit, nouit Dominus viam: id est, morem, ingenium, vitam, institutum, studium approbat, curæq; suæ commissam habet, adeoq; tuetur, ac per omnia dirigit. Quid autem malè cesserit illi, cuius via Domino placet, & ab illo dirigitur? Impiorum verò via peribit: id est, omnes illorum conatus, omnia studia & instituta prorsus euanescent, & in nihilum redigentur. Habent enim potentiam contra se iusti iudicis, cuius iudicio condemnabuntur ac perdentur.

EXPLANATIO.

Duo sunt hoc versu notanda. 1. Vnum est, placere Domino viam iustorum, impiorum verò displicere. Quum autem via iustorum nihil sit aliud quam iustitiæ ac pietatis, impiorum verò malitiæ & iniustitiæ studium: colligimus ex hac particula, diligere Deum iustitiæ studium, & detestari impiorum malitiam. Quisquis ergo Deo displicere nolit, viam impiorum deserat, & iustorum apprehendat. Etenim in omni gente qui timei Deum, acceptus est illi, &c.

OBSER. I.

2. Alterum est, hanc esse felicitatis veræ ac perpetuæ causam, si via nostra Deo placeat: infelicitatis verò, si displiceat. Nam in summa, placuisse Deo, felicem: displicuisse, infelicem ac perditum reddit. Expendat itaq; sua quisq; studia, ac videat quam viam iustorumne vel impiorum in hac vita ambulet. Nota est via iustorum, nota est impiorum, modò carnis non obæcemur affectibus. Quali quali loco in oculis Mundi huius sit iustorum via, omnino dirigitur à Domino & ad sempiternam felicitatem tendit: rursus quantumvis arrideat carnalibus via impiorum, finis illius ad perditionem definit. Lata est via, inquit Christus, quæ ducit ad perditionem, & multi ambulant eam. vt lata sit, a. Maub. 7. mœna videatur, & acceptabilis. peribit, inquit Propheta. Quare? Quia Domino displicet.

OBSER. II.

PSALMVS II.

ARGUMENTVM PSALMI.

Sub typo regni Davidis de firmitate & amplitudine regni Christi vaticinatur hic Psalmus: simulq; vanos gentium, populorum ac principum conatus, quibus Christo erant frustra oblectaturi, traducit: & quosuis potentes ad respiscientiam ac debitam fidem & subiectionem hortatur.

Vsus Psalms huius.

Psalmi huius vsus est, ad confirmandum in tribulatione ac persecutionib. piorum animos, ne potentia, violentia, rebellionem, ac seuitia tyrannorum huius Mundi perterrefacti, à Christo deficiant: sed certò scientes immotum illi regnum super omnes gentes à Patre datum, omnemq; aduersariam potestatem prorsus perituram: beatum verò futurum, qui quis illi firma fiducia adhaerit: inconcussam fidem seruent. Et ad hunc modum vsi sunt hoc Psalms Apostoli Actorum 4. cum seniores ac principes populi Israël mandassent, ne omnino in nomine Iesu docerent: Domine, inquit, qui fecisti cœlum & terram, mare, & quæ in eis sunt, qui Spiritu sancto per os patris nostri Davidis pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, &c.

Dispositio.

1. Habet autem & hic Psalmus trinam diuisionem. Prima, Vates impiorum regum, principum ac populorum furorem aduersus regnum Christi seuiturum præuidet, ac simul irritum fore prædicit, v. 1. 2. 3. 4. & 5.
2. Altera, persona Dei patris, ac Messie filij, de regno hoc loquentes introducuntur, vers. 6. 7. 8. & 9.
3. Tertia, admonet Propheta rebelles huius Mundi principes ac iudices, vt rectè sapiant, Domino in timore seruiant, & filium osculentur: ac simul perditionis minas propter immorigeros, & felicitatis promissionem propter pios ac fideles adiicit, vers. 10. 11. & 12.

PRIMA

VERS. I.



*Q*UARE fremunt gentes, & populi meditantur inania?

2. *Erigunt se reges, & principes consultant simul, aduersus Dominum & aduersus vnctum eius.*

3. *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis funes eorum.*

4. *Qui habitat in cælis, ridebit, & Dominus subsannabit eos.*

5. *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo perturbabit eos.*

LECTIO.

*Quare fremunt.* ] Ebræ. *למה רגרו*: id est, *quare fremuerunt*: sicut & Græcus reddidit, *ἵνα τι ὀργάζατο*. Significat autem verbum *רגרו*, non solum fremere, & incondito oris sonitu, sicut ira perciti solent, fremere, sed & turmatim concurrere & congregari: in quem morem solet plebs incompota ita concurrere, vt procul etiam concurrentium velut vndosi maris fremitus audiatur. vnde haud illibenter fremendi verbum retinui.

*Et populi meditantur inania.* ] Ebr. *התבוננו*: id est, *meditabuntur*. *Quare*, inquit, fremuerunt gentes, & populi meditantur inania? vt videas Ebræam linguam isdem de rebus nunc in præteriti, nunc futuri temporis forma loqui. Græcus reddidit *ἐμετανοήσαντες*: id est, *meditati sunt*. Chald. verò *מבין*: id est, *loquentes, insonantes, garrientes*. *Erigunt se*. Ebr. *קמו*: id est, *erigent se*. Chald. *קמו*: id est, *insurgentes*. Et Arabs verbum *insurgendi* posuit, dicens *ملاحيهم*. Græcus verò reddidit *ἠστῆσαν*: id est, *astiterunt*. *Et principes consultant simul.* ] Chaldæus & Græcus interpretati sunt per verbū *conueniendi*. *Funes eorum.* ] Ebr. *עברתיהם*. Vetus habet secundū Septuaginta, *iugum eorum*, eo quòd iugum ad boum cornua funib. ligari soleat.

## EXPLANATIO.

Sicut in argumento memini, contexit hoc Psalmo Vates prophetiam de regno Christi. vnde & Actorum 4. initium illius, & cap. 13. & Ebr. 1. particula illa: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: de Christo citantur, mysterium illius sancto nobis Spiritu per Apostolos aperiente. Interea tamen negandum non est, typum quendam illius in Dauide præcessisse, in quo prælineatum sit, quid olim filio Dei, regnum gratiæ in terris auspiciaturo, ab impijs regibus, principibus, gentibus ac populis futurum fuerit. Typum hunc vide 2. Samuel. 2. 3. 5. 8. 10. vbi describitur, quomodo contra Deum & vnctum eius Dauidem, mox initio regni eius, primū decem tribus Israëlitis, deinde finitimæ quoque gentes Philistæorum, Ammonitarum, Moabitarum, Idumæorum ac Syrorum, cum regibus ac principibus suis infremuerint, concurrerint, insurrexerint, & quæ hostilia sunt ten tarint: & tamen omnes illorum conatus in vanum cesserint, eo quòd habitator cæli vnctum suum tueretur: donec tandem hostes per circuitum victi manus dare, & Israëliti Regis imperium agnoscere coacti sint. Hæc in Dauide velut adumbratio quædam regni Christi præcesserunt, in Christo autem perfectè sunt adimpleta.

Quod hunc itaque typum concernit, fiduciæ suæ firmitatem ac certitudinem hac prima Psalmitate Vates exprimit, qua ope ac protectione Dei confusus, impiorum populorum, regum ac principum, non modò aduersum se vnctum à Deo, sed & aduersus ipsum Dominum insurgentium, impiam ac stultam temeritatem cum admiratione quadam notat, dicens: *Quare fremunt gentes, & populi meditantur inania? Quare erigunt se reges & principes, quare consultant simul aduersus Dominum & aduersus vnctum eius?* Sciebat se à Deo per Samuelem vnctum in regem, non humano aliquo, vel suo vel aliorum consilio intrusum. Sciebat fieri non posse, vt voluntati Dei humanis conatibus resisteretur: ideoq; non dubitabat irritos fore omnes omnium populorum, regum ac principum, quantumuis feroces, improbos, superbos & astutos conatus. Ridet itaque vana illorum studia: foreq; prædicat, vt à Deo ipso rideantur, ac perdantur. Quòd si hoc Vates in administratione regni, à Deo quidem sibi concrediti, temporarij tamen & vmbatici, vidit: quanto magis considerata in spiritu regni Christi, sempiterni illius & cælestis firmitate & amplitudine futurum vidit, vt omnes illius aduersarij, quæcunque gentes, quicunq; populi, reges ac principes, frustra illi repugnaturi essent, & rebellaturi? Sed videamus ipsa verba.

Vers. 2. &amp; 3.

*Quare fremunt gentes.* ] Secundum historiam regni Davidis, de Philistæis, Ammonitis, Moabitis, Idumæis ac Syris, ipsis quoque Israëlitis: secundum regnum Christi verò, non solum de Iudaica gente & principibus illius, qui ipsum Dominum crucifixerunt, sed & de omnibus totius Orbis nationibus, regibus ac principibus, intellige. Quòd enim Actorum 4. primam hanc Psalmitate partem Apostoli Herodi, Pilato, & gentibus ac populis Israëlitis tribuerunt, causæ quæ tum agebatur hoc datum, & ad ipsam Christi personam respectum est. Cæterum quis neget omnes illas gentes, populos, reges ac principes per vniuersum Orbem contra Dominum & Christum eius insurrexisse, qui ministris illius apostolis ac credentibus in ipsum aduersati sunt? id quod futurum Dominus ipse Matth. 10. & 24. prædixit. Saulo, qui Ecclesiam persequebatur, cælitus dicebat: *Saule Saule, quid me persequeris?* Non autem simpliciter dicit, *Fremunt gentes, & populi meditantur*: sed cum admiratione temeritatis illorum rogat, dicens: *Quare fremunt gentes? quare populi meditantur inania? Quare erigunt se reges? quare principes simul consultant aduersus Dominum & Christum eius?* Causam admirationis innuit in eo, quòd vana eos meditari dicit.

Deinde & impiorum conatibus feruorem, studium, factum & conspirationem tribuit, cum fremitus, meditationis, erectionis ac consultationis meminit, ne tepidum quid ac remissum suspicemur. *Aduersus Dominum & aduersus vnctum eius.* ] Non dicit simpliciter, *Aduersus Christum*: multò minus, Ad-

**A** nus, aduersus me: sed præmittit, aduersus Dominum: & subijcit: *Et aduersus vnctum eius: nec fortunam suam & Christi priuatæ fortis esse finit, sed hanc cum Deo communem facit.*

*Dirumpamus vincula eorum.* ] Quia populos meditari, & principes aduersus Dominum & Christum eius consultare dixit, ipsa hostium verba subijcit, vt exprimat quid illi inter se meditati sint, ac consultarint, quas voces inter se sparserint, nempe has: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis funes eorum: i. e. Lutemur huc omnib. viribus, ne iugum ac seruitutem Dei huius ac regis, quem constituit, subeamus.* Sic Philistæi 1. Sam. 4. in prælio sese mutuò adhortabantur, vociferantes: *Estote viri Philistijm, ne seruiamus Ebræis, Et contra Christum dicebant Israëliitarum principes: Nolumus hunc regnare super nos.* Chaldæus paraphrastes, vt indicaret has voces esse impiorum hostium, sic reddidit, *אֲרִמְנוּ אֶת־חַוְּלֵי־הַיָּם* i. e. Dicentes, *destruamus vincula eorum,*

Vers. 3.

*Qui habitat in cælis.* ] Idem bis dicit, sed ita, vt nihil minus hic versus habeat, quàm superfluum & otiosam tautologiam. Hac enim vnus sententiæ ingeminatione certò futurum affirmat, vt conatib. impiorum diuinitus frustratis, & ludibrio exponantur: quod per risum ac subannationem Dei, humano loquendi more, intelligit: & iram contra se Dei experti perturbentur. Potest etiam hæc particula, *Ridebit & subsannabit eos,* idem esse atq; *Securus ac tutus conatus eorum contemnet,* vt pote cælos inhabitans, &c. Sic Iob 41. de cete scribitur, quòd vibrantem contra se hastam derideat.

Vers. 4. & 5

Quòd autem dicit: *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo perturbabit eos:* simul & destinatum tempus & sententiam, & grauitatem diuini contra impios iudicij significat. Nihil enim aliud, Deum ad impios in ira loqui, quàm iudicium suum contra eos non verbis, sed re ipsa proferre. *Iam, inquit, fremunt, iam meditantur, iam eriguntur, & inania consultant:* verum breui futurum est, vt sententiam irati contra se Dei, quem impugnant, experiantur, & ex temerarijs ac præsumptuosis mirum in modum perturbati reddantur. Supplicij vehementiam ac grauitatem per hoc notat, quòd non solum iræ Dei, sed & furoris meminit. Alioqui Deo sicut nec risus, nec sublannatio, ita nec iræ, nec furoris passiones, quibus mortalium corda exæstuant, competere possunt.

*Gentes, populi, reges, principes.* ] Principiò notandum est hoc loco, quæ sit fors regni Christi in hoc Mundo. Quòd hic Vates cum admiratione ex instinctu Spiritus sancti futurum prædixit, id ita accidit. Insuper extolens primùm contra regni huius caput Christum, deinde & aduersum ciues eius credentes & Apostolos, gentes, populi, reges ac principes: hoc est, quicquid vsquam est in hoc seculo potentiæ, vt verum sit quod Simeon Christum signi loco futurum dixit, cui contradicatur: & quod Iudæi Romæ ad Paulum dixerunt, quòd huic sectæ (sic Christianos nominabant) contradiceretur ab omnib. Quòd ergo & tam perspicuè orè prophético prædictum est, & mox regni Christi initio & Christo ipsi, & post hunc Apostolis simul & reliquis fidelib. accidit, quis piorum non æquo animo ferat? cum ipse Dominus dixerit: *Non esse discipulum supra magistrum.* Et, si patrem familiàs, *inquit, Beelzebub vocarunt, quanto magis domesticos eius?*

OBSEŔ.

I.

Vers. 1.

Luca 2.

Actor. vlti.

*Quare.* ] Expendendum & hoc est, quòd ista Vates cum admiratione prædicit: id quod non præter rationem facit. Primùm enim nihil potest ab vllis gentibus, populis, regibus ac principibus merito prætexi, cuius gratia contra Dominum & Christum eius, hoc est, contra regnum Dei debeant insurgere. Quid namque prohibeat, quo minus Deo liceat regem dare populo suo? Deinde rex iste, cui vnquam genti, cui populo, cui magistratui obfuit? Imò quibus non profuerit: qui non venit tollere mortalia regna, cum ipse det cælestia? Quis ergo non miretur, quòd huic regi & gentes & populi, & reges ac principes, omnes omnium mortalium status & ordines, haud secus quàm communi cuidam pernicipi relictantur: cum totius Orbis vnicus saluator à Patre missus venerit? Ad hunc videlicet modum relictantur phrenetici medicis, insensati discipuli præceptoribus, liberi parentibus: vt neminem minus ferant, quàm eos ipsos, quos, si saperent, obuijs debebant vnus amplecti. Altera Prophetæ est admirationis huius causa, quòd prospiciebat totum Orbem vsque adeò contra Dominum & Christum eius insaniturum, vt impossibilia conaturus esset: haud secus quàm si cæcutientes, lippi ac lufci, solem cælo deturbare moliantur. Horum stultitiam ac temeritatem quis non meritò admiretur? At quanto insanius est, bellum cum ipso Deo & regno eius gerere? Vidit hoc Gamaliel in Actis cap. 5. ideoq; dicebat: *Si hoc opus ex Deo est, non poteritis illud dissoluere.* Sinite itaq; homines istos, ne & Deo repugnare videamini. Et Saulo bellum cum Deo gerenti, dixit ipse Christus cælitus detonando: *Saule Saule quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Admiremur itaq; & nos nostri seculi stultitiam & temeritatem, qua doctrinæ regni Dei, virtuti videlicet ad saluandum propter electos Orbi immisæ, homines insensati ac stolidissimi truculentis edictis, ferro, igne, carceribus: hoc est, terrena violentia, obfistere nituntur: cum ne vnus quidem venti cursum totus queat Orbis vllis cohibere remoris, quin ad metas diuinitus destinatas percurrat. Cursus regni Dei diuinus, cælestis ac spiritalis est prorsus: & sicuti à nemine mortalium dirigi, ita à nemine etiam cohiberi poterit.

OBSEŔ.

II.

*Fremunt, meditantur, erigunt se, consultant.* ] Videmus his verbis expressum, quàm hostes impij non vnus tantum, sed varijs modis regno CHRISTI aduersentur. In verbo *fremendi*, concitatum & incompositum furorem ac feruorem: in verbo *meditandi*, sedulum & irremissum studium: in verbo *erigendi*, vim, robur & contumacem potentiam: in verbo *consultandi*, astutiam, prudentiam & conspirationem hominum impiorum, regno DEI sese opponentium, significari intelligimus. Ergo prædictum est, omnibus modis impugnaandi regni CHRISTI vsuros impios. Si quis concitationis ac furoris spiritus, si qua sedulitas meditandi, si qua vis ac potentia, si quid consilij ac prudentiæ, impiorum animis inest, omnino aduersus regnum CHRISTI pugnat. Quid Apostolicis temporibus actum sit, sacræ literæ testantur: nostris verò, quem quæso fremitum & furorem, quam irremissam

OBSEŔ.

III.

meditationem, quam contumacem potentiam, quod astutum consilium hominum impiorum & carnalium non vidimus contra doctrinam regni Christi grassari, ac pleno impetu ferri? Quæ humanæ societatis iura non sunt rupta? Quod genus crudelitatis designatum non est? Quos astus ac dolos, quas impias consultationes non præsumperant homines insigniter malitiosi? Quis quæso ante aliquot annos tantam sequitiam ac crudelitatem in Ecclesia Christianorum orituram credidisset? Qui sperabantur esse patres ac fratres, conuersi sunt in hostes: qui videbantur esse pastores gregis Christi, facti sunt lupi rapaces: qui habebantur ministri Christi, produnt se esse ministros satanæ. In summa, carnalis hic populus, cum suis potentatibus, ac principibus, fremit, meditat, erigit se & consultat etiam hodie, aduersus Dominum & aduersus Christum eius.

**OBSER. IV.**

*Aduersus Dominum, & aduersus vnctum eius.* Omnibus CHRISTI hostibus hoc Propheta tribuit, quod non solum aduersus ipsum, sed & aduersus Dominum insurgant. De gentibus nulla est controversia, quia & Dominum verum & vnicum Deum, Deum Israël, simul & CHRISTVM eius reiecerint. De Iudæis verò quæri poterit, quomodo dicantur aduersari Domino & CHRISTO eius, cum veri Dei cultores, & CHRISTI eius expectatores videri velint. At non secus illis quoque tribuitur, quod Domino & Christo eius aduersentur, quam Gentibus. Actorum quarto dixerunt Apostoli: Conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum IESVM, quem vncti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israël, &c. Ergo quamuis Iudæi zelo DEI præditi fuerint, id quod Apostolus Roman. decimo fatetur, ideoque Christum crucifixerint, quod hunc non vnctum DEI, sed seductorem ac blasphemum aduersus Deum iudicant, (si enim illum cognouissent, utiq; non crucifixissent): nihilo tamen minus Gentibus hinc coniunguntur in eo quod aduersus Dominum & aduersus Christum eius insurrexerint. Quid hinc aliud colligimus, quam Dei esse aduersarium, quisquis Christo eius aduersatur: etiamsi maxime pro Deo se facere, & non Christum eius, sed seductorem ac blasphemum hominem reijcere, ac Christum verum adhuc expectare putat. Neminem reperies in tota Iudæorum gente, qui hoc de se dici ferat, quod Iesum hunc, quem Ierosolymis gentis huius maiores crucifixerunt & abiecerunt, respuendo, ipsum Dominum, Deum patrum suorum, & vnctum eius, in Prophetis promissum, respuat. At Spiritus sancti instinctu hoc ipsum Iudæis æquè ac gentibus per os Prophetæ, non gentilibus alicuius, sed qui & ipse Israëlita fuit, disertis verbis tribuitur. Potest ergo fieri, vt qui zelo DEI præditi sunt, scilicet veri cognitione illius destituantur, dum se obsequium DEO præstare, & Christum eius cum primis colere putant, simul aduersus Dominum & aduersus Christum eius insurgant. Qui hodie veritatem Christi impugnant, & sanguinem eorum qui hanc amplectuntur, quam cupidissime fundunt, nihil minus videri volunt, quam Christum & membra eius, & in illis Deum ipsum impugnare, cum se cultores Domini & Christi eius esse arbitrentur, quasi soli Iudæi & Turci Christo aduersentur. & hoc non faciat, qui per ignorantiam veritatem Dei, quam putat esse mendacium, auersatur, & condemnat. Est itaque hæc particula diligenter notanda: præsertim illis, qui propter Euangelicam veritatem à fratribus & Christianæ fidei professoribus condemnantur: quam sortem etiam qui ex Iudæis in Christum crediderunt, à contribulibus suis, & eiusdem veri Dei cultoribus passi sunt. Est enim hoc genus persecutionis multo grauius & periculosius, quam sit ea quæ à manifestis Christi hostibus infidelibus infertur: ideoque plus exigit fidei & patientiæ, quæ in veritatis confessione perduretur. Vidit hoc Basilius suo tempore, ideoque ad hunc modum scripsit: καὶ τὸ βαρύτερον ὅτι οἱ οὐκ ἀνοχόμενοι ἐν πληροπορίᾳ μαρτυρίας τὰ πάθη διέχοντες, οἱ οὐκ ἀνοχόμενοι ἐν μαρτύριον τὰς αἰτίας ἀδολύτας θρησκείας, διὰ τὸ χριστιανὸν ὄνομα τοῖς διάνοις περιπέσαι. Proinde firmum hoc sit & inconcussum: Quisquis verum Euangelij CHRISTI sensum impugnat, Christum DEI impugnat: & qui hunc impugnat, simul & Dominum à quo vnctus est, impugnat: quantumuis hoc non solum per imprudentiam, sed & zelo Christi ac Dei faciat.

*Epistola 7. ad Episcopos Gallie & Italiae.*

**OBSER. V.**

*1. Sam. 24. 26.*

*Vnctum eius.* Notandum est hoc loco, quod filium Dei vnctum vocat, Græcè χριστόν, Ebr. משיחא. Solebant reges, sacerdotes ac prophetæ in veteri Testamento iussu DEI, oleo terreno ungi, atq; eo symbolo in regnum sacerdotum, munusq; prophetandi inaugurari. De regibus vide historiam Saulis quem David ipse vnctum Domini vocauit: & Davidis, ac reliquorum. De sacerdotibus vide historiam Aaronis, ac successorum eius. De prophetis vide historiam Elizei, 3. Regum 19. At hic vnctus noster non oleo externo, sed Spiritu sancto, secundum humanitatem inunctus, & regiam & sacerdotalem & propheticam dignitatem accepit. De regia, præfens hic Psalmus: de sacerdotali. Ps. 110. de prophetica, cap. 18. Deut. testatur. De vnctione eius per spiritum, propheta Esaias vaticinatus est cap. 61. quem locum Christus ipse sibi Lucæ 4. adaptauit. Hæc inauguratio cœlitus Spiritu sancto in specie columbæ missa, facta est: de qua Matt. 3. Rectè autem non externo aliquo oleo, in morem reliquorum regum sacerdotum ac prophetarum inauguratus est vnctus noster, sed Spiritu sancto. Administratio namq; regni, sacerdotij, & prophetici muneris, ad quam cœlitus inauguratus est, non est externa, qualis erat regum, sacerdotum, ac prophetarum veteris Testamenti: sed planè interna & spiritalis: hoc est, quæ Spiritu sancto in cordibus electorum perficiatur. Sic regnum suum dixit non esse de hoc Mundo, nec venire cum externa obseruatione: sed, Intra vos est, inquit. Sic sacerdotium eius non est corporale & umbraticum, sed cœleste & spiritale: de quo vide Epistolam ad Ebræos. Sic propheticum illius munus, non litera & voce humana, sed spiritu absoluitur. Accedit quidem litera & vox humana, sed his non absoluitur, scriptum enim est: Erunt omnes docti à DEO. Et dabo spiritum meum in corda eorum. Ideo Apostoli dicuntur ministri spiritus, non literæ. Hæc paucis de liberare volui, vt rationem vnctionis huius, ob quam Dominus noster, vnctus Dei dicitur, expendamus, ac simul: regni, sacerdotij, ac prophetici muneris illius qualitatem agnoscamus: cui omnino conformandi

**A** formandi sumus, quotquot in Christum credimus: atq; ob eam causam Christiani: id est, vncti vocamur. Sumus enim participes ac confortes Christi, ideoque & vnctionis huius. Qui namq; spiritum Christi non habet, hic non est eius: Rom. 8. Et Ioan. in sua Canonica dicit: Vnctio docebit vos. Ipse perfecta vnctione super omnes est filios Dei, fratres ac confortes suos inunctus: hoc est, ad plenam regni ac sacerdotij dignitatem ac potestatem, vt sit caput, inauguratus. Hoc Spiritus sancti oleum olem lætitiæ, Psal. 45. vocatur, vnde regnum Dei, pax & gaudium in Spiritu sancto appellatur, Rom. 14. Propter hanc vnctionem, credentes in Christum ab Apostolo Petro ad hunc modum describuntur: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui vos vocauit de tenebris in admirabile lumen suum. Ecce regiam, sacerdotalem, & propheticam dignitatem Christi, fidelib. tributam. Vnde est ergo commentum illud Pontificij regni ac sacerdotij, quod hodie in Ecclesia regnat?

Psalm. 45.  
1. Petr. 2.

*Dirumpamus vincula eorum.* Tria sunt hoc loco notanda. 1. Primum, hunc impiorum contra regnum Christi fremitum, & vniuersam hanc repugnationem, & aduersandi meditationem ac consultationem, esse, rebellionem, qualis est subditorum contra potestatem superiorem. Non omnis tergiversatio rebellionem habet. Hæc autem, qua regno Christi aduersantur impij, crimine rebellionis grauatur. Quod enim dicunt: *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis funes eorum*: nihil est aliud, quam, Recusemus imperium huius Christi, non feramus vt iugo illius subijciamur. Sim<sup>9</sup> ipsi Domini. Seruiatur nobis, non seruiamus illi. Turpe est, tot reges, principes, gentes, ac populos seruire fabri filio. Consimili metaphora, Israëlitiçi populi inobedientia, qua perpetuò Spiritui sancto resistit, Hiero. 5. taxatur. Sed magis hi confregerunt iugum, ruperunt vincula. Prædicatum ergo est, Mundum fore regno Christi rebellem, nec iugum eius laturum. 2. Deinde notandum est, quod non dicunt, *Dirumpamus vincula Dei, ac projiciamus à nobis funes*: sed, *Dirumpamus vincula eorum, ac projiciamus à nobis funes eorum*, quib. verbis satis innuitur, quod tantum ad personas illas paucorum & infirmorum hominum impij respiciunt, quib. Dominus regni & Euangelij sui ministerium in hoc Mundo committit. Sic enim externa tantum respiciunt: quæ si viderint infirma, facile rumpenda putant. Diuinam virtutem in ipsa causa, quam impugnant, non considerant: ideoq; ad reluctandum ac proculcandum animantur. Iudei in Christo nihil videbant aliud, quam summam vilitatem, sicut & in Apostolis: putabantq; sibi non cum Deo, sed cum paucis quibusdam hominibus esse negocium: quib. oppressis, oppressa esset & causa ipsa, quam ferre non poterant: ideoq; securè ad ista rebellionis consilia ferebantur, quasi tantum fabri & piscatorum vincula, quorum magisterium à tot sanctis, doctis, ac magnis viris sine probro, & tam præclari nominis ignominia ferri non posset, rupturi ac proiecturi. Accidit hoc perpetuò populo ac ministris Dei, ab illis qui vera cognitione ac religione DEI præditi non sunt, siue illi in verbo, siue in magistratu Deo seruiant: Sic Phæro non diuinam potentiam, sed vilitatem ac infirmitatem Moïsis & Aaronis intuitus, populum dimittere volebat. Sic Israëlitiçi non Deum in Samuele, sed personæ illius vilitatem considerantes, more Gentium regem sibi dari petebant. Sic Saul non Spiritum Domini in Dauide, sed generis humilitatem respiciens, dicebat: Nunquid filius Isai faciet vos omnes centuriones. &c. ideoq; illi confidentius persequebatur. Et rex Syriæ, considerata Helizei prophetæ tenuitate, non diuinâ qua is protegebatur, maiestate: deinde & cogitans, quam esset oppidulum illud in quo agebat exile & infirmum, ad capiendum eum mittebat exercitum, oblitus quod insidiaretur prophetæ Domini: 4. Reg. 6. Et rex Assyriorum Sancherib, desolatam & vnicam iam Hierusalem obsidione cingebat, putans sibi negotium esse non nisi cum paucis, ijsq; fame propè consumptis: non considerans se ciuitatem magni Dei obsidere, quod tandem magno suo malo expertus est: 4. Regum 18. 19. Hæc impiorum hominum insania, perpetuò in hoc Mundo durat, & ad finem vsq; durabit.

OBSER.  
VI.

3. Tertio obseruandum est, quod leue illud Christi imperium, regnum gratiæ ac vitæ, vincula & funes vocant: quasi tyrannidem exerciturus in Mundum hunc venerit, qui ad hoc missus est, vt nos à vinculis satanæ, peccati ac mortis ereptos, in libertatem assereret. Sic solet indomita illa naturæ nostræ corruptio, seruitutem satanæ libertatis loco completi: libertatem verò quæ per Christum est, tanquam vincula & funes, manib. ac pedib. auersari & abijcere. Vocat quidem Christus Mat. 11. disciplinatum fidelium suorum, iugum & onus: sed facit hoc imitatione iugi & oneris peccati, à quo nos liberaturus aduenit. Alioque in ineptè adderet iugum suum esse suauem, & onus suum leue, ac tale, in quo requies animarum inueniatur cum nec iugum, nec onus in se suauitatem, leuitatem ac requiem habeat. At hic disciplinatus, quem Mundus tanquam molestissimum quoddam onus auersatur, regeneratis omnium est suauissimus, quod ad spiritum attinet, nouo videlicet homini, cui libertatē spiritus parit: carni verò: i. e. veteri Adq; vinculorum ac funium: id est, molestissimæ captiuitatis loco est, vt pote carnales ac noxios illius affectus restringens.

Ioan. 8. Sē  
vos Filios  
beraueris,  
verè liberò  
eritis.

*Qui habitat in cælis.* Notanda est hæc periphrasis, qua DEVM habitatorem cæli vocat Mundus hac impiè ad corroborandum delinquēdi securitatem & impœnitentiam vtitur, vsurpans illud: Cælum cæli Domino, terram dedit filijs hominum: quasi sic cælos inhabitet DEVS vt nullam eorum quæ in terris geruntur, rationem habeat. At hic Propheta noster periphrasim hanc Dei magno animo ad irridendum Gigantæos illos conatus hominum impiorum, quib. contra Dominum insaniunt, vsurpat. Quasi diceret: Quidnam omnium stultissimi moliantur? Quem impugnant? Cælos inhabitat, quò illi nunquam ascendent. Temeritatem illorum securus ridebit. Ad hæc cum cælos in potestate sua habeat, vtique & terræ Dominus est, quæ cælis est subiecta, vt quocunq; momento visum fuerit, cælitus illos prosternere ac perdere queat. Deus noster in cælo est, inquit alibi, quæcunq; vult facit, &c. Deus noster, in cælo sedes eius, oculi eius vident, palpebræ eius interrogat filios hominum, &c. Dominus de cælo prospicit super filios hominum.

OBSER.  
VII.

Notemus ergo, Deum cœli habitorem dici, non quòd loco aliquo illius circumscribatur, quem A  
cœli cœlorum capere nequeunt, utpote adimplentem omnia: sed quòd & securus sit contra omnes  
omnium impiorum conatus, & quòd in vniuersam hanc terram cum omnibus illius habitatoribus  
ineuitabilem potestatem habeat: perinde ac si quis regiam arcem, in supremo ciuitatis loco sitam,  
& omnium munitissimam possideat, ita ut non solum securus sit contra ciuium rebellionem, sed in-  
de quoque quoties visum fuerit, potestatem in ciues exercere queat. Sic cœlitus diluuium Orbì  
immisit, Sodomam & Gomorrhā igne consumpsit, & alia huiusmodi supplicia de reprobis terræ  
huius incolis sumpsit. 1. Sit ergo nobis hæc periphrasis D E I summo solatio contra impiorum co-  
natus. 2. Deinde simul admoneat nos, ut integrè & piè viuamus in hoc seculo, utpote in conspectu  
Dei, sub hoc cœlo ambulantes. 3. Præterea quoties cœlum hoc suspicimus, cogitemus nos hic esse  
peregrinos, & breui ad cœlestem patriam migraturos. 4. Oraturi, leuemus cum Christo oculos in  
cœlum. 5. Delicturi, suspiciamus cœlos, arcem Patris nostri, ut cum Susanna detrectemus peccare  
in conspectu Dei.

OBSER.  
VIII.

*Ridebit & subsannabit.* ] Quid hîc audimus? Sunt ne tam acerbi, tam feroces, tam seduli, tamque a-  
stuti, non plebeiorum tantum, sed & Regum ac principum conatus, res ridiculæ, quæ subsannari  
debeant? Planè: sed in oculis Dei, deinde & in oculis Prophetæ. Sint igitur tales & in oculis nostris.  
Quis enim melius de conatibus mortalium, quantumuis potentium iudicare poterit, quam cui non  
solum res ipsæ vniuersæ, sed & fines rerum præsentis sunt & manifestæ? At huic sunt ridiculi om-  
nes impiorum conatus, velut temerarij, inepti, & frustranei. Tales sunt illi in se omnino, quales co-  
ram D E O æstimantur. Quòd nobis videntur formidabiles, infirmitas est iudicij nostri. Terremus  
spectris rerum, inanibus prorsus & ridiculis.

Dicit quisquam: Atqui, ut ridiculi fuerint fremitus & conatus hostium Christi, ad sanguinem ac  
mortem vsq; progressi sunt, non Apostolorum modò, plurimorumq; fidelium & innocentum, sed  
& ipsius Christi: cui certè nihil minus quàm ridiculi videbantur, cum diceret: Pater, si fieri potest,  
transeat à me calix iste, & Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Item in cruce: Deus meus, D E V S  
meus, quare dereliquisti me? Si Christo ipsi ridicula non fuerunt, quæ ab impijs est passus: quomo-  
do nobis afflictiones carnis, vnde cumq; illatæ, ridiculæ erunt? Diuidamus hîc hominem pium, in  
carnem & spiritum: carnem infirmam, spiritum promptum. Deinde ipsos etiam impiorum conatus  
diuidamus, in finem, siue quem animo destinant, siue quem præter opinionem longè diuersum  
consequuntur: & in ea, quæ vel bonis, vel nomini, vel corporib. piorum inferunt. Caro pro sua  
infirmitate, & malorum præsentium sensu, posteriorem partem conatuum impiorum horret ac fu-  
git apprehensa, & sub passionibus constituta, doloribus cruciatur, gemit, & clamat. Spiritus verò il-  
luminatus à Deo, ac sano præditus iudicio, fidei oculis finem istorum conatuum præuidet, inanita-  
temq; illorum intelligit atq; ideo promptus & alacer, quantumuis horribiles appareant, velut lar- B  
uas quasdam ridet. Huius vox erat, cum ad armatos obuiam progressus dicebat: Quem queritis? I-  
tem: Si me queritis, sinite hos abire, id quod non precandi modò, sed velut securè ridendo dicebat.  
Sciebat enim ita constitutum esse diuinitus, ut solus ipse pateretur. Sinite hos abire, inquit. q. d. In  
hos nihil poteris, modò securi sunt, quantumuis armati irruatis. Quod in me committitis, ita consti-  
tutum est à Patre. At hos, qui veluti seminarium quoddam doctrinæ meæ, hoc ipsum breui propa-  
gabunt, quòd extinguere conamini, nolitis velitis, intactos relinquitis. Carnis verò vox erat: Tri-  
stis est anima mea, & Pater si fieri potest, & quæ alia sunt huiusmodi. Idem igitur pius homo, spiritu  
quasi quidam Democritus Gelasius, quoscumque impiorum conatus velut inanes ac frustraneos,  
quantumuis carni horribiles appareant, securus & animo excellissimo, vnà cum habitatore cœli, in  
cuius conspectu fide immota conuersatur, ridet & subsannat: carne verò passionibus ac doloribus  
obnoxia, horret, tremet, luget, dolet, aduersa deprecatur, gemit, lamentatur, illachrymatur, vocifera-  
tur, &c. Huic exemplari, CHRISTO videlicet, conformantur, quotquot spiritum illius accepe-  
runt. Neque in proprijs tantum afflictionibus pij tales sunt, sed & in illis quæ proximis contingunt.  
Quatenus expendunt, quàm sint afflictiones huius seculi transitoria & inanes, cum Democrito  
rident vel satanæ vel reproborum hominum ineptias: quatenus verò pro carnis sensu, tanquam &  
ipsi homines, miseriam huius vitæ considerant, hætenus certè velut Heraclitus quidam iuxta A-  
postoli admonitionem, cum flentibus flent & ipsi.

Dices: Sunt ad hunc modum comparati pij: de Deo autem quid dicemus? Dabimusne illi, quòd  
de sanguine innocentium quem impij fundunt, rideat, imò quòd amplius etià est, quòd Christo fi-  
lio ipsius in summis cruciatib. constituto, crucifixores illius riserit ac subsannarit? Vnde ergo erant  
insolita illæ tenebræ? vnde terræ motus? vnde petrarum rupturæ? Erant ne ista indicia ridentis Dei?  
Deo, frater, risus à Propheta tribuitur, non quòd rideat, sed quòd conatus impiorum securus, tan-  
quam irritos & vanos, cœlitus è sublimi spectet. Quatenus ergo Herodes, Pilatus, seniores, ac po-  
puli Israël cum Gentib. ipsum Deum cœlorum inhabitorem, ac regnum eius, in Filio ipsius fru-  
stra impugnabant, hætenus illos securus risisse dicitur. Quatenus verò Filium ipsius, hominem  
Christum, tanta crudelitate & improbitate persequebantur, crucifigebant & occidebant: hætenus  
conatus illorum non risit, veluti leues ac frustraneos. sed iusta vindicta vltus est, tanquam crudeles  
ac detestabiles. Scriptum est enim: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Non sunt ridicula co-  
ram Patre cœlesti, quæ filijs ipsius ab improbis infliguntur: id quod toties declaratum est. Propter  
miseriam, inquit, & gemitum pauperum, nunc exurgam. Proinde diligenter obseruandum est, non  
solum quid Propheta Deo tribuat, sed etiam quomodo, quo sensu, & quatenus hoc illi tribuat: ca-  
ueadumq; ne vltra mentem illius ea quæ dicuntur extendamus, ac diuexemus: ne ridiculum nobis,  
non

**A** non consulem, quod Romanis quidam probri loco dabat, sed DEVM constituamus.

*Tunc loquetur ad eos in ira sua.]* I. Notanda est hæc loquutio, quæ Deus hostib. & aduersarijs Christi sui in ira loquutus dicitur. Loquutus est illis per filium suum, Ebr. 1. Et Christus dicit: Sermo meus, non est meus, sed Patris qui misit me. Loquutus est autem non in ira, sed gratia, sermonem videlicet pacis ac reconciliationis. Deus erat Christo, inquit Apostolus, Mundum reconcilians sibi. Et Christus Ioh. 3. Non enim misit Deus Filium suum, inquit, in hunc Mundum, ut iudicet Mundum, sed ut seruetur Mundus per ipsum. Ad hunc sermonem gratiæ & reconciliationis, non solum contempserunt, sed & blasphemiam condempnarunt ac proscripserunt impij reges, principes ac populi. Quid igitur iustius gratiæ contemptoribus, rebellibus, blasphemis, contumacibus, ipsius filij DEI, Apostolorum, & innocentum occisoribus contingere potuit, quam ut in ira loquentem audirent, cuius gratiam in Filio respuerunt? Sicut alibi Propheta dicit: Noluisti benedictionem, elongabitur ab eo, induet maledictionem, &c. Euangelium Dei audire noluerunt: hostiles igitur Romanorum exercitus, non gratiam ac benevolentiam, sed vastationem & vltionem horrendissimis vocib. insonantes audire coacti sunt. Quia, inquit Christus, noluit audire tempus visitationis tuæ. Quid enim illi aliud exequuti sunt, quam irati DEI iudicium, meritam vltionem aduersus contumaces loquentis? Et hoc præsens seculum, quandoquidem sermonem gratiæ Dei tanta contumelia afficit, ac iugum Christi detrectat, & reconciliationis ministros persequitur & opprimit, quomodo non dignum relinquatur, post iustum posthac iudicem, condemnationem ac vindictam in ira sua loquentem: hoc est, horribiles Turcorum exercitus, frementes & omnia vastantes, audiat & sustineat? 2. Deinde, in eo quod non simpliciter dicitur: *Tunc loquetur ad eos in ira sua*: obseruandum est, tempus quoddam esse iudicio & vltioni diuinitus contra aduersarios regni Christi & contemptores gratiæ ita certò destinatum, ut Propheta spiritu in illud intentus, vltionem impijs quam certissimè venturam minetur. Non determinat illius momenta, quæ diuinæ prouidentiae sunt permitenda, sed certò futurum notat, quasi dicat: Nunc quidem in hac die vestra sæuitis, insanitis, fremitis, meditamini inania, erigimini, consultatis & conspiratis aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: verùm futura est alia dies, prorsus ab hac diuersa, in qua mutato rerum vestrarum cursu, pœnas Domino & Christo eius dabit. Ad hunc modum & Christus de vltionis tempore Lucæ 19. loquitur: Et quidem in hac die, inquit, quæ ad pacem tibi. Nunc autem absconditum est ab oculis tuis, quod venturum sunt dies in te, quibus circumdabunt te inimici tui vallo, &c.

OBSER. IX.

2. Corint. 3.

Lucæ 19.

Ponamus itaq; perpetuò ante oculos mentis nostræ hanc temporum mutationem ac diuersitatem: cogitemusq; quantum sit discriminis inter diem delicti & diem vltionis, quæ omnino destinatum ac certò futurum esse dubitare nõ debemus. Hinc est impiorum ac stultorum perditio, quod præsentibus intenti, futurorum rationem nõ habent, quæ ab oculis illorum sunt abscondita. Hæreat igitur hæc cogitatio pectoribus nostris. Nunc quidè ad hunc modum viuimus, ac cum diu te epulone deliciamur: tunc verò quid futurum est? nunc sermonem gratiæ audire detrectamus: tunc quid audiemus? Nunc ad respicientiam vocantem Deum auersamur: tunc qualem experiemur? Nunc opulenti sumus, magni ac splendidi: ac tunc quales erimus? Nunc humilib. & infirmis vim inferimus: tunc quid ipsi feremus? Rursus cogitent miseri & afflicti: Nunc cum Lazaro esurimus: tunc verò cum eodem refocillabimur. Nunc cum prophetis, Christo & Apostolis persequutionem ferimus, & opprimimur: at tunc regnabimus, ac felices cum iisdem erimus. Si namq; compatimur in hac vita, conregnabimus etiam in futura: sunt enim omnino rerum vices. Non est eadem temporis huius & futuri conditio.

*In ira sua, & in furore suo.]* Grauitatem huius impietatis ac contumaciæ, qua sermoni gratiæ repugnatur, obseruemus in grauitate diuinæ vltionis, quæ iræ ac furoris dictionib. exprimitur. Castigat DEVS suos virga paterna, non in ira & furore: quia non ad perditionem, sed ad salutem, ac impios Christi ac gratiæ eius contemptores & aduersarios, non in virga paterna, sed in ira & furore: quia non ad emendationem, sed ad condemnationem & perditionem. Quanta fuerit ira hæc Dei, ac quam intollerabilis furor, videre est in Iosepho de bello Iudaicò, & Christus vltionis huius grauitatem Matt. 24. prædixit. Et hodiernus dies tot iam seculis durantem aduersus hanc gentem iram Dei, factis horrendo exemplo omnib. Christianis ob oculos exponit. Non est enim gens alia in Orbe tanta, non solum calamitate, sed cæcitate diuinitus percussa, atq; Iudaica illa, quæ perpetuò diuinæ gratiæ repugnando, iram ac furorem DEI aduersum se concitauit. Quis autem satis expenderit intollerabilem illam iræ ac furoris DEI grauitatem, quam experientur increduli ac reprobi in die iudicij? Vix hominis iram & furorem ferimus, Dei quomodo feremus? Caueamus ergo hanc impietatem, qua sermoni gratiæ ac cursui regni Christi resistitur, ne istam diuinæ furoris grauitatem, quam hic Propheta comminatur, experiri cogamur.

OBSER. X.

*Perturbabit eos.]* Omnium commodissimè iræ ac furori Dei vim eam tribuit, quæ impios feroces, obstinatos, contemptores, securos, ac contumaces regni Christi hostes, qui nunc verbo gratiæ contumeliam inferunt, & omnia securè velut ex alto rident: nec villo pacto cessuri videntur, imò nunc velut inuicti omnia perturbant, ac quousvis violentia & improbitate sua perterrefaciunt, in die iudicij sit perturbatura. Hæc perturbatio tanta illis continget, ut montib. dicturi sint: Cadite super nos. Tunc videlicet versis vicibus turbatissimos ac desperatissimos videbimus, quos nunc velut omnipotentes, nemo non suspicere & adorare cogitur. Tunc, qui nunc depressis capitibus, tristes ac lugentes incedunt, erecta ceruice Seruatorem suum ac iudicem impiorum lætissimi excipient. De hac iustorum alacritate, & impiorum perturbatione, Sap. 5 sic legitur: Tunc stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes illi turbabuntur timore horribili, & mirabuntur subitaneam in speratæ salutis, gementes, & præ angustia

OBSER. XI.

flia spiritus dicent intra se, pœnitentiam agentes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & A in similitudinem improprij, &c.

## ALTERA PSALMI DIVISIO.

6. Et ego vnxi Regem meum super Sion montem sanctum meum.
7. Narrabo iuxta statutum Domini: dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.
8. Postula à me, & dabo gentes hereditatē tuā: & possessionē tuam terminos terræ.
9. Conteres eos virga ferrea, velut vas figuli confringes eos.

LECTIO.  
Vers. 6.

Et ego vnxi.] Græcus hunc versum sic reddidit: ἰδὸς δὲ ἡγιάσθη βασιλεύς: καὶ ἀντὶ τούτου οὐδὲν ἔργον ἔχει αὐτὸν ἰ. e. Et verò constitutus sum rex ab eo. super Sion montem sanctum eius. Quod Ebr. est מָלַכְתִּי: i. e. Et vnxi, passiuè reddidit, constitutus sum: & מָלַכְתִּי: i. e. Regem meum, omisso pronomine reddidit, Rex: & adiecit, quod intextu non est, אֲנִי: i. e. ab eo. Deniq; illud מָלַכְתִּי: i. e. Montem sanctum meum, vertit, Montem sanctum eius, qua versione verba Patris de Filio, fecit esse verba Filij de seipso. Hunc sequutus est Latinus interpres, quemadmodum & Arabs, qui sic reddidit: Ergo constitutus sum Dominus rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Chaldæus vetò paraphrastes Ebraicam veritatem retinuit.

Vers. 8.  
Vers. 9.

Illud מָלַכְתִּי: i. e. Et possessionem tuam: Arabs vertit: Et potestatem tuam, vel principatum tuum.

Conteres eos.] Ebr. est מַכְתִּים, quod est, Pafces eos reddi potest: sicut Græcus reddidit, ποιμαίνεις ἀντὶς: & Conteres eos, quemadmodum Chaldæus interpretatus est תְּהַבֵּן. Arabs eandem dictionem, quam Ebr. habet, retinuit. Verùm quoniam altera versus huius particula, quæ eandem prioris huius sententiam repetit, confringendi verbum ponit, & metaphora virgæ ferreæ magis ad contritionem impiorum, quàm ad pastum ouium quadrat, malui conterendi, quàm pascendi verbum ponere.

EXPLA-  
NATIO.

Hac altera Psalms diuisione Propheta personas Domini & CHRISTI eius, quarum suprã vers. 2. meminit, de regno hoc, cui tot gentes, populi reges ac principes aduersantur, loquentes introducit. Primas autem oraculi huius partes Patri tribuit, quem de Filio suo rege loqui facit, quòd hunc regem super Sion montem sanctum suum constituerit. Deinde Filium inducit, sententiam Patris, quam ad se dixerit, narrantem. Has personas ob id loquentes inducit, vt rationem eorum reddat, quæ prima Psalms parte commemorauit: videlicet, cur gentium, populorum, regum ac principum fremitus, meditationem, erectio nem & consultationem non solum aduersus CHRISTVM, sed cum primis aduersus ipsum Dominum fieri, ideoque se temeritatem illorum tanquam impiam & frustraneam admirari, ac Dominum qui cœlos inhabitat, conatus eorum ridere, suosq; tempore in ira illis ac furore locutus dixerit: ideo scilicet, quòd CHRISTVS ille quem ipsi impugnant, ab ipso Domino rex sit constitutus: atque ob eam causam, non illi tantum, sed ipsi DEO aduersentur. Vt hoc tanquam omnium certissimum inculcet, non dicit, Dominus vnxi regem suum: nec dicit, Filius eius est, hodie genui eum: postulat ab eo, & dabit illi gentes hereditatem, &c. sed oraculum hoc ipsi Patri tribuit, quo ipse de regno Filij sui pronunciet, & omnem causæ huius dubitationem auferat: quemadmodum & reliqui propheta ipsam Dominum exercituum loquentem inducere solent, vbi serid quid inculcandum adferunt.

Vers. 6.

Et ego vnxi regem meum.] Quem suprã vnctum Domini vocauit, hinc regem eius appellat: ita tamen vt verbum vncti adiungat. Intelligit autem inaugurationem illius, eò quòd reges, vt suprã memini, vnctione ad regiam potestatem inaugurabantur. De vnctione Dauidis, quæ iussu Dei per Samuelem facta est, videre est 1. Sam. 16. De Christi verò vnctione, quæ est per Spiritum S. Matth. 3. & Luc. 4. Notanter autem, non simpliciter Regem, sed Regem meum dicit, quasi dicat: Hunc volui esse regem, meus hic rex est & erit, vt vt eum agnoscere nolitis.

Super Sion montem sanctum meum.] Iuxta typum in Dauide notum est, hunc montem à Deo vt regni ac sacrarij sedes esset, electum, qua de re infra Ps. 78. iuxta veritatem verò, quæ in Christo est adimpleta, nota sunt verba Angeli Lucæ 1. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum. Et Propheta dicit: De Sion exibit lex & verbum Domini de Hierusalem. Et Act. 1. Eritis mihi testes à Hierosolymis vsq; ad fines terræ. Itaq; mons iste vtrobiq; Domino factus est habitus, cum propter typum qui in Dauide præcessit, tum propter veritatem regni Dei, quæ in Christo Hierosolymis cœpit: vbi & passus, & resurrexit, & Spiritum sanctum regni huius administratorem discipulis dedit, atq; ita regni sui exordia collocauit.

Vers. 7.

Narrabo iuxta statum Domini.] Hæc vox est Filij, qua constitutionem Patris regno se inaugurantis commemorat. Narrabo, inquit, iuxta statum Domini, quasi dicat: De me nec ipse profiteor aliud, nec quenquam profiteri volo, quàm quòd Dominus ipse constituit, hoc fideliter commemorabo ac prædicabo. Quid autem Dominus de se constituerit, non suo ipsius, sed illius potius verbo inducto declarat, dicens: Dixit ad me: Filius meus es tu: & quæ sequuntur, vsque ad vers. decimū quib. verbis tria commemorat, se ac regnum acceptum concernentia. Primū, quòd sit filius DEI. De Dauide hæc particula eo modo intelligi potest, quo illud Psalms 87. ad iudices ac potentes à DEO dictum est: Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. CHRISTVS autem licet secundum verbum sit vnigenitus Dei, & secundum hominem quoq; quatenus de Spiritu sancto conceptus est, filius DEI Lucæ 1. vocetur: hoc tamen pacto ipse quoque filius DEI est, quo regno est per Spiritum S. cœlitus inauguratus: siue intelligas quando baptizatus est ad Iordanem, siue quando per Spiritum sancti ficationis à mortuis excitatus, ac filius DEI est declaratus, Roman. 1. Atq; ita illud: Ego hodie genui te, in typo, de die vnctionis intelligendum est, quo Dauid est à Domino per Samuelem inunctus, ac rex Israël creatus. In veritate verò, vel ad diem baptismatis, quo cœlitus inauguratus ac filius DEI paterna est voce appellatus: vel certè ad diem resurrectionis referendum est, quo factus est primo.

**A** est primo genitus ex mortuis, Col. 2. & filius Dei declaratus. Vnde & Apostolus Actor. 13. locum hunc resurrectioni Christi applicat, cum dicit: Deus vero resuscitavit eum a mortuis tertia die, qui visus est per dies multos, his qui simul ascenderant cum eo de Galilæa Hierosolymam, qui huc v. que testes eius sunt ad plebem. Et nos vobis annunciamus, quod eam repromissionem quæ ad patres facta est, Deus adimpleverit filijs eorum, nimirum nobis, resuscitato Iesu: sicut & in Psalm. 1. scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vbi omnino certum est, Apostolum generationem hanc filij Dei resurrectionem, ac diem generationis huius, diem resurrectionis intelligere: non quod tum primum factus sit filius Dei, sed quod eo die planè sit regno cælorum inauguratus, ac filius Dei per spiritum sanctificationis declaratus. Colligunt quidam (vt hoc obiter admoneam) ex præsentis Pauli loco, Psalmum hunc vnum & eundem olim, antequam diuideretur, cum primo fuisse. Credibile est, hunc Apostoli tempore primum fuisse: postea verò in ordinem hunc quem habemus, redacto Psalmorum libro, factum esse secundum.

Alterum, quod in oraculo paterno ad Filium commemoratur, est regni amplificatio *Postula à me, Vers. 8.* inquit, & dabo gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quasi dicat: Tantum abest vt regnum montis Sion quod tibi tradidi, per inobedientium rebellionem manibus tuis eripiat, vt vniversas quoque totius Orbis nationes imperio tuo subiecturas sim. Quod autem dicit: *Postula à me*: nihil aliud innuit, quam benevolentia paterna erga Filium propensionem, qua nihil illi denegare potest. Solent magni principes, si quos singulari favore prosequuntur, ad hunc modum ad petendum à se quidvis animare, seq. daturus polliceri. Tale quid Salomoni diuinitus contigit, 1. Reg. 3. Quod typum concernit, Dauidi gentes ad vltimos vsq. Iudaicæ terræ terminos celsisse, 2. Sam. 8. 10. & 12. vniversas verò totius Orbis gentes illi datas esse, nusquam legimus. At Christo omnem potestatem à Deo patre non in terra modo, sed in cælo datam esse, Matth. vit. instrumur. Vnde & Apostolos suos in Orbem vniversum, tanquam propriam ditionem, ad regnum suum pertinentem, amandauit, præcepitq. vt docerent omnes gentes, &c.

Tertium est, contritio & confractio hostium: *Conteres eos*, inquit. Intelligit autem gentes, populos, reges ac principes frementes, inania meditantes, rebelles, & consultantes. Vt autem exprimat, quam horum contritio & confractio futura sit facilis, exitialis ac prorsus irreparabilis, comparat eos vasi figulino, quod & facile conteritur, & contritum reparari nequit. *Tanquam vas figuli*, inquit, *confringes eos*. Quam contriuerit & confregerit hostes suos Dauid (vt & hęc typi recordemur) locis supra dictis videre est. Hostium verò Christi contritionem, vniversalem illam ac finalem, in secundo illius aduentu videbimus, quando cum exercitu cœlesti Orbem vniversum iudicaturus adueniet. Huius adumbratio quædam in vastatione ac confractione Israeliticæ gentis, quæ per Romanum est exercitum, diuina vltionis ministram perfecta, præcessit. Quæ quàm fuerit horrenda, & singularis exempli, in Iosepho cernere licet. Et hodierna dies testatur, quàm sit vasculum hoc figulinum miserè & irreparabiliter contritum ac confractum.

*Et ego vixi regem meum.* ] Iudæi Christum coram Pilato accusarunt, quod regem se fecerit atq. ita Cæsari contradixerit. At ipsius testimonio Dei Christus non sibi ipse hunc honorem rapuit, sed à Patre collatum accepit. Notemus itaque huius oraculi initio, quàm saluti nostræ consuluerit Spiritus S. quod hanc ignominiam à nomine Christi, ora impiorum diuino hoc atq. paterno testimonio retundendo, reiecit. Quid enim ignominiosius iuxta ac perniciosius, quàm si quis regem se in domo Dei suapte temeritate constituat? Vt itaque certi essemus, hunc Iesum immunem ab hac temeritate & ignominia, ab ipso Deo patre vntum ac regem constitutum, adhibitum est paternum testimonium, quod primum voce cœlitus delapsa, deinde miraculorum ac signorum virtute, tertio per spiritum sanctificationis, in die resurrectionis, & post illius assumptionem in cælos, ita est luculenter præstitum, vt Mundo non sit relictum, quod incredulitati suæ verè prætexere possit. Ergo ne ipsum quidem Filium suum Deus sine testimonio suo agnosci ac recipi à nobis voluit: & homo peccati voluit & obtinuit, peccatis nostris ita exigentibus, vt sine testimonio Dei rex, Pontifex, & caput Ecclesiæ habeatur.

*Regem meum.* ] Regem hunc Dei, Mundus, sub satana principe suo seruiens ac militans, magno suo malo non agnoscit: imò ridiculum iudicat, regem eum dici ac credi, qui fabri, vt putat, Filius, non solum nulla mundani regni gloria, cum in terris esset, atque cum semiuero illo piscatorum comitatu circuiret, conspicuus fuit: sed & morte turpissima ab ipsa sua gente condemnatus, & ligno affixus est: atque ob eam causam, credentes illi, omnium iudicat esse insanissimos. Contra hanc ignominiam Christianæ religionis obfirmemus animos nostros hoc præsentis oraculo, quo Christus rex Dei vocatur. An rex non est, qui Deo rex est? Vtique rex est, etiamsi rumpantur & subsident fundamenta Orbis. Agnoscamus itaque regem hunc Dei, qualis qualis perituro huic Mundo videatur: relinquamusque impijs suas larvas, quas impiè colunt & adorant. Iam olim hoc seculum spectris rerum assuevit: res ipsas, vt coram Deo veræ sunt, nec agnoscit, nec recipit: maximè ob hanc causam quod mundanus factus non additur, ita vt nec verum cultum, nec veros episcopos & pastores qui Dei sunt, amplectatur autem factos & imaginarios.

*Super Sion montem sanctum meum.* ] A qui Pilato dicebat Christus: Regnum meum non est de hoc Mundo. An mons Sion non est de hoc Mundo? Mons Sion, terrestris ille, & in Mundo est, & de Mundo. Populus videlicet carnalis ac rebellis: portio Mundi, & ad principem Mundi pertinens, qui coram Pilato clamabat: Regem non habemus, nisi Cæsarem. & in parabola dicebat: Nolumus hunc regnare super nos. At hęc mons Sion, quem Deus ipse sanctum vocat, electus & spiritualis, de Mundo non est, propter electionis & sanctificationis gratiam: cuius etiam nomine sanctus dicitur.

Huius montis nomine non terrenus ille locus, nec populus mundanus & carnalis: sed populus spiritualis, credentium videlicet, ex Iudæis intelligendus venit. Huic videlicet cœlestis hic rex datus est, ut qualitati regni cœlestis conueniat & populus regni. Et itaque Sion hic mons sanctus, Dei ecclesia ex Israël, ad quam pertinent sancti patriarchæ, prophætæ, apostoli, & vniuersa reliqua eius gentis sancta & fidelis turba. Hic mons regni Christi primitias & exordia habet, vnde cœlestis gratia in Orbem vniuersum emanauit. De hoc monte Apostolus Ebr. 12. sic scribit: Accessisti ad Sion montem, & ad ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cœlestem, & multorum millium angelorum frequentiam, & ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis, &c. Et ad Galat. 4. Hierusalem hanc cœlestem ac matrem nostram nominat. Quod si terreno loco aliquid in Ecclesia Christi deberetur prærogatiuæ, certè monti huic deberetur potius quàm Tarpæiæ rupi, ut Hieronymi verbis vtar: quæ de cœlo sæpius fulminata, ostendit quod Domino displiceat. quæ & in Apocalypsi Ioannis, non mons Dei sanctus, sed Babylon habitatio dæmonum, & custodia spirituum immundorum vocatur. Sed videamus, quæ de Ecclesia Christi nobis hoc sint obseruanda loco.

Hieronymus  
ad Marcellã  
de laudibus  
Bethlehem.

Super Sion.

Primum Sion: id est, specula vocatur. Quis vsus sit speculæ, notum est. Vbi nullus est hostium metus, ibi certè nulla opus est specula. At in monte Dei specula est. Ergo nulla dum est populo Dei ab hostibus securitas. Quemadmodum igitur Hierusalem illa terrena in medio gentium constituta, propter finitimos hostes Sion: id est, speculam habuit: ita & cœlestis Hierusalem suam speculam: id est, vigilas & excubias habet, propter hostes non solum visibiles, sed & inuisibiles, à quibus vndique dum in hac vita est, impetitur. Excubias autem in hac Sion habent non solum Episcopi: id est, speculatores, & angeli qui circa timentes Dei castrametantur: sed & cum primis ipse Christus rex Dei, qui ad dexteram Patris collocatus, velut è sublimi specula cœlitus detonabat: Saule Saule, quid me persequeris: qui apud suos est vsque ad finem Mundi, & tanquam verus Dauid in arce Sion habitat, illamque per circuitum ædificat: quem & apostolus Petrus ob eam cœlestis custodiæ vigilantiam, episcopum, id est, speculatorem, & pastorem animarum nostrarum vocat.

Psal. 34.

Act. 9.  
Matth. 27.  
2. Sam. 5.  
1. Pet.

Montem.

Deinde notandum est, quod Ecclesia hoc loco mons vocatur. Mons quid est aliud, quàm terræ portio supra reliquam humum eminent, & ad cœlum erecta? Et Ecclesia Christi portio de terra est, externis hominibus selecta, & supra reliquos mortales terræ filios in sublime ad cœlum exaltata. Et Christus ipse Ecclesiam suam ciuitati supra montem sitæ comparat, At hæc sublimitas & eminentia Ecclesiæ Christi, non mundana & terrena, sed pro regis ac regni huius ratione, spiritualis & cœlestis est intelligenda. De hac Apostolus sic scribit: Si confurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, non quæ super terram. &: Conresuscitauit, & confedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. &: Nostra conuersatio in cœlis est. Gemina est monti huius eminentia. Vna est dignitatis eius, qua per gratiam electionis & vocationis in Christum credentes, facti sumus filij & hæredes Dei, & cohæredes Christi. Altera est conuersationis, qua per spiritum Christi regenerati non secundum carnem in terræ fundo, sed secundum spiritum velut in monte quodam conuersamur. Hic est ergo mons ille, qui in nouissimis diebus in vertice montium paratus, & super omnes colles exaltatus est, ad quem omnes gentes fluxerunt, &c. Itaque qui Ecclesiæ Christi mundanam eminentiam, opus videlicet, potentiam, & honores huius Mundi tribuunt, illi eam è sublimitate sua deiciunt, & regnum Christi cœlesti terrenorum regnorum spectris adæquant & humiliant.

Matth. 5.

Coloss. 3.  
Ephes. 2.  
Philip. 3.

Esa. 2.

Sanctum.

Tertiò obseruandum est, quod mons hic sanctus dicitur. Est enim Ecclesia sancta. Sanctum est, quod Deo consecratum est. Oppositum huius est, quod mundanum & profanum est. Nihil igitur minus est Ecclesia Christi, quàm mundana & profana, qualia sunt Mundi huius regna. Hanc cœlestis gratiæ sanctitatem consequi debet & vitæ sanctimonia. Hinc est, quod Apostolus toties Christianos sanctos vocat: ut admo neat eos ad veram vitæ pietatem ac sinceritatem. Sed hac de re infra Psalm. 16 plura.

Meum.

Quartò, nec hoc prætereundum est, quod montem hunc sanctum Deus suum esse dicit. An non vniuersa quoque terra cum omnibus suis regnis, montibus ac populis, Domini est? Planè. Domini est terra, inquit infra Psal. 23. & plenitudo eius, Orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. Quid est ergo aliud, quod montem hunc sanctum Deus suum esse dicit, quàm quod Ecclesia Christi peculiariter Dei est, hæreditas videlicet & selecta possessio ac domus Dei? Patris familiars aliter filius est, & aliter seruus. Seruus in domo non manet, filius manet: seruus heres non est, filius est. Mundus hic Domini est, tanquam conditoris ac dominatoris: Ecclesia verò illius est, tanquam patris & inhabitatoris. Inhabitabo, inquit, in illis, & erunt mihi populus: id quod de profanis & incredulis dici non potest. Commendat nobis hanc gratiam Apostolus, cum dicit: Domini sumus, siue viuimus, siue morimur. Nemo nostrum sibi ipsi uiuit, nemo sibi ipsi moritur.

2. Cor. 6.

Rom. 14.

OBSER.

III.

1. Narrabo.

Narrabo iuxta statuum Domini. ] Particula hæc Christum prædicatorem ac prophetam futurum vaticinatur, dum dicentem inducit, quod narraturus sit: id est, prædicaturus. Deinde quid prædicaturus fuerit, adiungit, cum dicit: iuxta statuum vel præceptum Domini. Ergo Christus rex ille Dei, super Sion montem sanctum eius vnctus, prædicator est, interpret ac propheta Domini. Sic Deut. 18. Israël: Dominum ad hunc modum pollicitum legimus: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum ipsorum, sicut te: & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Hinc est vox illa Patris cœlitus de lapsa: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Verbum itaque Dei, quod in sinu Patris est, suscepta carne, prædicationis in se munus accepit: ut videamus, quantum illud

**A** tæ illud sit dignitatis, cuius filium Dei non puduerit. Quæ est ergo illa peruersitas in Ecclesia, quòd Episcopi, quorum munus est docere populum, verbi ministerium tanquam rem leuiculam & humilem, propter factum seculare, quo seculi principes adæquant, à se abiecerunt, & inferioris notæ hominibus imposuerunt, vt hodie turpe habeatur Episcopo, si populum Christi doceat? Vsq; adeò scilicet mundana sunt inebriati gloria, vt nec exemplo, nec præcepto Christi ad officium adigantur.

Deinde, admonemur etiam, quid requiratur à verbi ministro: nempe vt de suo nihil, sed omnia <sup>2. Iuxta statutum.</sup> iuxta statutum Dei prædicet. Sit igitur hic illi scopus vnice petendus, vt cum Christo Domino suo dicat: Narrabo iuxta statutum Domini, qui & Ioan. 12. dicit: Ego ex me ipso non sum loquutus: sed qui misit me Pater, ipse mandatum mihi dedit, quid dicam, & quid loquar. Filius Dei normam & præscriptum eius à quo est missus, prædicando seruat, & qui ministri illius videri volunt, doctrinam in Ecclesiam inuehant, quam à Domino non acceperunt. Præuaricator est, non verus legatus, qui aliud quàm quod in mandatis accepit, principis sui nomine narrat. Cùm suos Dominus amandaret <sup>3. Dominum.</sup> in Orbem, dicebat: Docentes eos seruare omnia quæcunq; mandauit vobis. Si mandato huic obtemperassent Episcopi, tot erroribus Ecclesia nunquam facta fuisset obnoxia.

Tertiò, videmus hic Christum Patrem suum vocare *Dominum*: nimirum secundum humanitatem. Nam secundum diuinitatem, *Dominum* non habet. Cùm igitur Christus filius Dei secundum humanitatem, *Dominum* eum agnoscit, à quo est inunctus, & à quo omnem cælestis regni potestatem accepit: quid nam siue in cælis, siue in terris adeò sublime & excellens est, cuius non sit Deo se omnipotentì subijcere, ac *Dominum* illum agnoscere?

Interea tamen cauendum nobis est, ne auctoritatem Christi filij hominis ob hanc causam diminuamus, quòd in forma serui, quam nostri gratia suscepit, Deum patrem *Dominum* vocat. Licet enim secundum hanc minor sit Patre, sicut & ipse Ioan. 14. ingenuè fatetur, dicens: Pater maior me est: secundum diuinitatem tamen, illi per omnia equalis est. Nostrum non est hoc solum in Christo considerare, quòd propter nos & ex nobis per verbum illud æternum est assumptum: sed potius vtrunque, & verum Deum & verum hominem: vnum & eundem Christum filium Dei, & filium hominis: atque ita eum Deum, *Dominum*, præceptorem ac seruatorem nostrum agnoscere, & fideliter confiteri. Se ipse humiliavit propter nos, cùm in forma Dei esset: atque hæcenus demisit, vt nobiscum Patrem suum Deum ac *Dominum* appellet. Hæc illius humilitas exosculanda nobis est, non ad ignominiam diuinæ maiestatis rapienda. Hæc propterea commemoro, vt grauissimæ calumniæ occurrat, qua nos Suenckfeldius Christi naturas ita separare dicit, vt ex vno filio Dei duos faciamus, & hunc non totum & integrum, sed dimidiatum adoremus: cùm nihil aliud sentiamus, nec doceamus, quàm quod sancti Athanasij symbolum, & sententia Ephesini concilij contra Nestorium lata tenet.

*Dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Varia esse filiorum genera, notum est. Sunt naturales filij, sunt adoptiui, sunt ætatis, sunt amoris, sunt regenerationis, quæ animorum est: sunt etiam alterationis, qua pristina conditio in nouam aliam mutatur. Quod ad Christum Seruatorem nostrum attinet, Christianis cognitum est, quo istorum genere sit filius Dei, quem fides nostra naturalem & vnigenitum Dei filium esse credit, quantumuis hoc nomine à Iudaica & Turcica impietate irrideamur, quòd Deo naturalem filium damus, cùm vxorem non habeat. At quod præsentem hunc locum concernit, videndum est, quomodo id ei conueniat, quòd Pater non simpliciter dicit, *Genui te*: sed, *Hodie genui te*. Vox hæc certè non competit nisi *genituræ* filijs. Nec adoptiuo, nec ei qui vel secundum ætatem, vel amoris gratia filius est, rectè dicit quisquam, *Hodie genui te*. Oportet vt genitura aliqua accedat. Ea verò triplex est: naturalis videlicet, spiritualis, & conditionalis. Naturalis est, qua Deus pater verbum, naturalem & consubstantialem filium, & homo hominem gigni spiritualis, qua mentes mortalium ita regenerantur, vt ex impijs pij fiant, secundum quam Apostolus Corinthijs dicit: In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. qua etiam Galatas iterum parturiebat. Conditionalis est, qua quis in aliam conditionem & statum à priore diuersum mutatur: vt si ex priuato confestim rex, ex inglorio & obscuro gloriosus & illustris, ex mortali immortalis fiat. Nemini præiudico, neque contentiosè quicquam dictum volo. Christo hæc vox, *Hodie genui te*, neque secundum primam, non quòd non sit naturalis filius Dei, sed quòd ea generatio cùm sit æterna, tempori alicui dari nequeat (nisi quis ad eum diem referat, qua verbum incarnatum ex virgine natum est: neque secundum alteram, quia cùm mente purus sit, impietatem non habuit, vnde ad pietatem regeneraretur: sed secundum tertiam genituram competere videtur, sicut & supra in explanatione memini. Quid enim aliud quàm regeneratio quædam erat, immutatio illa status & conditionis Christi, quando per Spiritum S. cœlitus ad Iordanem inauguratus, mox ab eo qui antea visus fuerat, vsque adeò in alium virum mutatus fuit, vt de eo ciues ipsius consternati dicerent: Vnde huic hæc omnia? Et quæ est sapientia hæc, quæ data est illi? & virtutes istæ, quæ sunt per manus eius? Nonne hic est faber, filius Mariæ, &c. Vel quando ex mortuis resuscitatus, omnium carnis nostræ infirmitate ac mortalitate abiecta, ad cœlestem est gloriam & dexteram Patris super omnia translatus & exaltatus: vt non immeritò Apostolus præsentem locum resurrectionis & exaltationi illius deputet.

Hæcenus vox ista conuenit capiti nostro Christo, Filio Dei: vt paterno testimonio sciamus illum declaratum, & ad cœlestem gloriam exaltatum. Interea tamen etiam nobis competit, qui filij Dei & fratres ipsius sumus, quatenus & qui sanctificat, & qui sanctificantur, omnes ex vno sunt Patre. Nam & ipsi in hac vita regeneramur, & testimonium Spiritus sancti, oraculum scilicet patrum,

*Ebr. 2.* paternum, accipimus, quod spiritibus nostris hanc vocem insonat: Filij mei estis, ego hodie genui vos. Testimonium enim Spiritus sanctus reddit spiritibus nostris, quod sumus filij Dei. Deinde & in nouissimo die resurgemus & ipsi: hoc est, regenerabimur, & ex mortuis ad immortalitatem & ad cœlestem gloriam transferemur, quam resurrectionem & Christus ipse Matth. 19. regenerationem vocat, qua utiq; illi conformes reddemur, & gloria filiorum Dei potiemur: nisi quod Christo debentur primitiæ & prima, omnia tanquam capiti: nobis verò pro mensura diuinitus disposita, tantum gratiæ & gloriæ, quantum membris competit. Non sumus alieni ab hac gloria filij Dei qui secundum humanitatem caro est de carne nostra, & os ex ossibus nostris: cum quo etiam in cœlestibus à Patre nostro collocati sumus. Gloriæ huius communicatio angelis non competit, quos non suscepit: competit autem semini Abrahamæ quod in se suscepit: id est, electis ac filijs Dei. vnde & vñctionis huius obfignationis, & arrhæ participes sumus, qua de cœlesti hac filiorum Dei gratia & gloria contra quæuis tentationum genera certi reddimur.

**OBSER. VI.** *Ebr. 5. Rom. 8. Ebr. 9.* *Postula à me, & dabo.*] Quanquam nusquam legitur, Christum à Patre dominatum Orbis postulasse: sicuti neque legitur, Patrem dixisse Filio, *Postula à me & dabo*, &c. nisi in hoc prophético oraculo: instrumur tamen hoc loco, Christum Patri ita charum esse, vt nihil illi negauerit, nec adhuc pro nobis interpellanti negaturus sit. Seruit nobis hæc particula, pro quibus ille cum lachrymis & obtulit & Patrem orauit, & etiamnum tanquam summus sacerdos & mediator vultui Dei apparet, & interpellat. Et huius interpellationis virtute orationes nostræ coram Patre exaudiuntur. vnde & dixit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis, Ioan. 16.

**OBSER. VII.** *Ebr. 5. Rom. 8. Ebr. 9.* *Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*] Notanda hoc loco est non solum amplitudo regni Christi, qua non modò Iudaicam, sed & vniuersas reliquas gentes, ac fines terræ complectitur: verum etiam perpetua, legitima ac iusta illius potestas, quæ dictione hæreditatis exprimitur. Iam certum est, omnia Mundi regna, cœlum ac terram esse Dei, & horum nec hæreditariam, nec vniuersalem cuiquam mortalium vnquam datam esse possessionem, nisi vni huic Christo Ratio huius est, quod is filius Dei vnigenitus est, & hæres omnium: vt quæcunque Pater habet, ipsius sint. Rectè ergo, postquam dixit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: subiicit, *Postula à me, & dabo gentes hereditatem tuam, ac possessionem tuam terminos terræ.* Et hoc est quod Apostolus Ebr. 1. dicit: Quem constituit hæredem vniuersorum. Hæres nascitur. Et filius hominis, heres Dei natus est, quando verbum incarnatum ex virgine natum est. At hæreditariam hanc gentium possessionem, post resurrectionem demum ad dexteram Patris exaltatus accepit. Quod ob id moneo, ne quis illum in morem adoptiui hæredem Dei constitutum esse putet. Itaq; si quem humilitas filij hominis offendit, cum audit illud: *Postula à me*: non subsistat in verbo postulandi, sed progressus consideret etiam maiestatem eiusdem in eo quod Pater dicit: *Dabo gentes hereditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ.* Nam his verbis omnino filius hominis, hæres Dei & Dominus omnium constituitur. Vbi sunt ista præterea notanda: **B**

Primùm: Nos, qui ex gentibus sumus, donum esse Dei, Filio datum: Pater filio sponso, in regnum inauguratum, principatum gentium dotis vice dedit. Curandum ergo nobis est, vt Dominum nostrum agnoscamus: oremus etiam, vt vniuersus simul Orbis Regem ac principem suum agnoscat.

Deinde notemus, quam iniuriam regno Christi Romana tyrannis faciat: quæ sicut olim Donatistæ in Africæ angustiam, ita ipsa ad sua pomœria lacera & arcta amplitudinem illius restringit. Sicut ergo Augustinus suis temporibus temeritatem Donatistarum præsentis oraculo notauit & repressit, ita nos hodie Romanorum præsumptionem eodem veluti mucrone confodiamus.

Tertiò, sequamur etiam exemplum Christi filij Dei in hac causa, qui & ipsi sumus filij & hæres Dei. Christus antequam ad cœlestia exaltaretur, mox initio inaugurationis suæ tentabatur à satana, quando in montem excelsum translatus, ostensis totius Orbis regnis, audiuit: Hæc omnia mea sunt, & cuiusque volo, do illa. Dabo tibi hæc omnia, si prouolutus adoraueris me. Tentationem hanc satanæ fortiter repressit, diemque exaltationis qua à Patre hæreditatem Orbis acciperet, patienter expectauit, & expectando consequutus est. Ad hunc modum & nos, scientes nos esse filios & hæres Dei, tentationes satanæ, qua nobis nescio quam felicitatem, si se adoremus & à Deo deficiamus, pollicetur, magno animo repellamus, & tempus gloriæ filiorum Dei in hac humilitate constanter ac patienter expectemus, vt & verè & sempiternè ac infinito felicius à Patre accipiamus. quod nobis callidissimus impostor falsò ad hoc promittit: vt & promissa hæreditate nos spoliet, & in sempiternum perdat.

**OBSER. VIII.** *Daniel. 2.* *Suscitabis Deus cœli regnū quod in æternum non dissipabitur. Consummet autē & consumet vniuersa regna hæc: & ipsum stabit in æternum.* *Conteres eos virga ferrea.* Notemus hanc virgæ ferreæ & figulini vasis metaphoram: de qua & Daniel. 2. Videmus hinc, quàm inuictum sit regnum Christi, & fragilis omnis aduersaria potestas. Reluctatur vniuersus Orbis regno Dei, vt appareat Mundus his veritati Dei repugnans, Filios Dei mactans, ac Spiritui sancto pertinaciter resistens, regnum esse ferreum, & contrà regnum Christi vas figulinum fractum & contritum. Verum si sint oculi fidei, tam erimus securi de regno Christi contra Mundi huius diuitiam ac potentiam, quàm securum est ferrum, si à vase figulino impetatur: imò certi erimus, omnem hanc aduersariam potentiam prorsus esse contereendam. Quid sunt quæso omnia regna Mundi aliud, quàm præsens hæc metaphora à Spiritu S. posita habet, *vas quoddam figulinum*? Vas figulinum quid est, nisi terra igne quidem durata, sed admodum fragilis? Sic regna Mundi quid sunt aliud quàm caro? Et caro quid est, nisi terra fragilis?

Notemus itaque hoc loco, geminam esse regni Christi virtutem, ad seruandum vnam, ad contereendam alteram. Sicut & lapis angularis innitentibus sibi robore suo bene seruit, offendentes verò & impingentes atterit. Matth. 21. inquit Dominus: Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur;

getur: super quem verò ceciderit, conteret eum. Et. 1. Pet. 2: Vobis, inquit, credentibus, honor: non credentibus verò, lapis hic offensionis est, & petra scandali, &c.

TERTIA PSALMI DIVISIO.

10. Et nunc reges intelligite, erudimini iudices terræ.

11. Servite Domino in timore, & exultate cum tremore.

12. Osculamini Filium, ne quando irascatur, & amittatis viam, cum exarserit breui ira eius: beati omnes qui confidunt in eo.

Illud, Servite Domino, Ebr. est עבדו את יהוה, quod etiam reddi potest, Colite Dominum, vt תהא sit articulus accusatiui casus. Chaldaeus sic, פלוהו קרם יהוה: id est, Servite coram Domino. Et exultate. ] Græcus ωδὲ ἀγαλλῶμεθα, inquit, ωδὲ: id est, Et exultate ei. Arabs reddidit, Laudate eum. Osculamini Filium. ] Græc. ἀγάλατε τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ: id est, Apprehendite disciplinam. Chaldaeus אכלו מן הארץ: id est, Recipite doctrinam. Hier. Adorate purè. Ne quando irascatur. ] Græcus adiecit, λέω ὑμῖν. Arabs, Ne irascatur Dominus contra vos. Et amittatis viam. ] Ebraicè, ורחקו דרך, id est, Et pereatis via Græcus præpositionem adiecit, ἀπὸ τῆς ὁδοῦ: id est, Et pereatis de via. & addidit, δικαίως: id est, iusta. quod & ipsum in Ebræo non est. Et Hieron. reddidit: Et pereatis de via. Illud, Cum exarserit breui, Hieronymus vertit, Cum exarserit post paululum. Potest etiam reddi, Si parum exarserit: vel, Quoniam breui exardescet ira eius.

LECTIO.

Et nunc reges. ] Hactertia Psalmi parte Propheta post cœlestis Patris oraculum de Filij regno inductum per apostrophen, reges ac iudices terræ, quos initio Psalmi aduersus Dominum & Christum eius sese erigere ac consultare dixit, alloquitur, & ad respicientiam ac debitam subiectionem hortatur, Et nunc, inquit, reges intelligite. q. d. Cum regnum Christi ad hunc modum comparatum sit, vt non solum impossibile sit quod conamini, sed & vobis ipsis exitiosissimum, etiamsi hæctenus desipuistis: tamen vel iam tandem, nisi perire iuuat, mutata sententia respiscite. Nolite vsque adeò insanire, vt vobis ipsi perniciem accersatis. Proinde intelligentes estote, qui alijs imperatis, & disciplinam cœlestem suscipite. Nam alioqui quod putatis vos regnis vestris per id consulere, quod Christo Domino repugnatis, omnium est stultissimum.

Verf. 10.

Servite Domino in timore. ] Quia dixit, Intelligite: vt doceat, quæ sit illa vera regum ac principum sapientia, qua regnis suis, ac propriæ saluti consulere debeant, explicandi gratia subiicit: Servite Domino: vt admoneat, tum eos sapienter ac feliciter regnatos, si Domino seruiant. Quoniam verò multam refert, quo animo id fiat, addidit, In timore, & exultate cum tremore. quibus verbis debitam reuerentiam animi, Dei timentis, erga diuinam maiestatem exigit. Illud, Et exultate cum tremore: potest simpliciter de exultatione illa intelligi, qua reges ac principes in eo exultant ac tripudiant, quòd omnia posse, tanta opulencia rerum pariter & potentia freti, videatur: vt admoneantur, ne interea dum alijs imperantes exultant, timoris ac tremoris Dei obliuiscantur. Et hic sensus propterea mihi arripit, quòd exultandi verbum absolutè positum est. Quod si quis de exultatione spiritus intelligendum putat, qua cum alacritate & gaudio mentis, adiuncto timore, Deo seruiendum est: habet. Græcum interpretem astipulantem, simul & Arabicum, qui per exultationem hanc, laudem ac celebritatem Dei intellexit.

Verf. 11.

Osculamini Filium. ] Iterum præcedentis particulæ declaratio subiicitur, Dixit, Servite Domino, &c. vt hoc declaret, subiungit, Osculamini Filium, vt doceat, id demùm verè & intelligenter esse Deo seruire, si Filius tanquam rex & dominus omnium agnoscat & colatur. Etenim osculandi verbo, humilem ac supplicem subiectionem exprimit, qua solent subditi principum suorum vel pedes prostrati, vel manus incurui, in signum omnimodæ submissionis deosculari. Nec præter rationem est, quòd non dicit, Osculamini Dominum: sed, Osculamini Filium: vt innuat, osculandum esse Dominum ob eam causam, quòd est Filius Dei, Dominus ac hæres omnium.

Verf. 12.

Ne quando irascatur. ] Adhortationi comminationem adiecit futuræ perditionis, si monitis obtemperare nolint, eò quod breui contra commorigeros & rebelles exarsura sit ira Dei. Non autem vulgarem aliquam & leuiculam vltionem comminatur, sed talem, quæ ita omnem sit reconciliationis copiam amputatura, vt non sit aliquis è perditione futurus exitus. Et hoc est quod dicit: Et viam amittatis.

Beati omnes qui confidunt in eo. ] Exclamatio est, qua postquam immorigeris perditionem comminatus est, felicitatem omnibus illis pollicetur, qui ipem suam ponunt in Filium: vt non solum terreantur impij & infideles, sed & consolationem & animi confirmationem habeant pij ac fideles.

OBSER. I.

Et nunc reges. ] Expendendum hæc est, cum initio Psalmi non solum regum ac principum, sed & gentium & populorum Domino ac Christo eius repugnantiam meminerit, qua ratione hæc reges ac iudices nominatim ad respicientiam vocat. Quis enim dubitat, non solum regibus ac iudicibus, sed simul & vniuersis gentibus ac populis curandum esse, vt respiscant, & Domino se ac Christo eius subijciant? Non excluduntur gentes & populi, sed ob eam causam reges ac iudices nominatim ad respicientiam vocantur, quòd illi sunt gentium ac populorum capita: quorum cum primis interest, vt Domino subijciantur, ac populis subiectis ad veram hanc obedientiam ducto- res sese præbeant. Duplici siquidem nomine iporum est, vt se Domino morigeros subijciant. Primum, quoniam cum alijs mortalibus potestati illius subiecti, deinde peculiare etiam illius ministerii sunt facti, ad hoc vt accepta in subditos potestate, diuinæ voluntati & ipsi seruiant, & subditos obedientes reddant. Innuit ergo Spiritus sanctus hoc loco per id quod reges ac iudices alloquitur, & ad respicientiam hortatur, illorum culpa fieri, quòd gentes & populi Domino ac Christo

Christo

Christo eius aduersantur, vt non frustra scriptum sit: Potentes potenter tormenta patientur. Quid enim peruersius, quam si, qui à rege subditis præfectus est, ipse primus regem suum agnoscere nolit, omnem potestatem sibi ipsi vindicet, dominum sese ac regem constituat, obedientiam subditorum regi debitam in se transferata, utroque illis sit inobediencie ac rebellionis? Quis nam præter rationem fieri putabit, si tales præfecti peculiariter ad resipiscentiam vocentur? Imò quis non regis huiusmodi clementiam admirabitur, quòd eos ipsos ad resipiscentiam vocare dignatur, quos cum primis tanquam perfidos & rebellionis autores, capitis arcessere ac plectere poterat?

Etiam hoc notandum est, quòd non dicit, *Et nunc rebelles, vel tyranni, vel perfidi*: sed, *Et nunc reges & iudices*. Officiorum nomina illis non adimit, licet eos haud immeritò aliud vocare posset. Vocat eos adhuc *reges ac iudices*: vt istis nominibus admoneantur, quid esse debeant, & quid diuinitus sint facti. Discamus hoc loco, quare debeatur regibus ac principibus reuerentia, quibus Officiorum tituli non adinuntur, etiam vbi tanquam rebelles & immorigeri ad resipiscentiam vocantur. Et Apostolus, cum 1. Tim. 2. fideles hortatur, vt pro magistratibus orent, etiam impijs ac persecutoribus regij honoris nomen adscribit: id quod apostolus Petrus expressè facit, priore epistola, c. 3.

OBSER.  
II.

*Intelligite.* Notemus hic, quid Spiritus S. à regibus ac iudicibus in regno Christi exigat. Non dicit, *Nolite reges ac iudices esse, deponite imperandi ac iudicandi maiestatem*: sed, *Intelligite*, inquit, & erudimini: *Seruite Domino*, &c. Certè si regibus ac iudicibus nullus esset in regno Christi locus, fidelis admonitoris erat, disertè à regnandi & iudicandi functionibus auocare. Iam cum hoc non faciat, sed tantum exigat vt intelligentes sint, ac Domino subiecti: quis non videt, quantus sit Anabaptistarum error, quo magistratibus in regno Christi nihil esse loci tradiderunt? Deinde, in eo quòd reges ac iudices Christo rebelles, vt intelligentes sint, admonet: documento nobis esse debet, nihil minus esse quàm sapientiam ac prudentiam, qua illi regnis suis quàm sapientissimè consultum putant. Quid enim aliud agunt, veritati regni Christi reluctando, quàm vt regnis suis consulant? Iudæorum magistratus dicebant: Ne veniant Romani, & tollant nostrum locum & gentem, &c. Hæc erat illorum sapientia & intelligentia. Verùm exitus acta probauit. Videns igitur Spiritus sanctus, reges ac principes ibi potissimum insanire, vbi se supra modum intelligentes esse putant, hortatur eos vt verè sint intelligentes, nec se falsa intelligentiæ persuasione seduci patiantur. Quis dabit huic nostro seculo, vt reges ac principes verè sapiant, nec se malè consultorum hominum persuasionibus, in suam ac subditorum perniciem perpetuò seduci sinant?

OBSER.  
III.

*Erudimini iudices terræ.* Non solum exigat, vt intelligentes sint: sed & disciplinæ eos, qua erudiantur, subiicit. Magna est huius loci autoritas, qua reges quoque & iudices disciplinæ verbi Dei subijciuntur. De illa namque loquitur: neque immeritò. Quorum enim magis interest vt verè sapiant, quàm regum ac iudicum? Vnde autem vera intelligentia acquiritur, quàm ex disciplina verbi Dei? Ideo & Deut. 17. Deus regem nominatim ad hoc adstringit, vt sibi librum legis diuinæ describat, secumque habeat, & in eo noctes ac dies legens, Dominum timere discat. At quæso, quos habet hodie Ecclesia, disciplinæ huius minus tolerantés, quàm reges ac principes? Quid ergo mirum est, si pauci inter eos sunt, qui verè sapiant, atque intelligent ac feliciter regnent? Fit itaque omnium meritissimo iudicio, vt qui verbo Dei subijci nolunt, in postorum consilijs subiaceant.

OBSER.  
III.

*Seruite Domino.* Notanda est hæc intelligentia, quæ regibus ac principibus præscribitur, fidelis scilicet seruitus. Quæ namque alia est serui intelligentia, quàm vna hæc, vt Domino suo in timore seruiat? Vocantur ergo reges ac iudices ad seruitutem Dei, tanquam ad intelligentiam ipsis competentem. Admonentur itaque hoc loco, vt sciant tum se feliciter regnuros, quando potestas ipsorum nihil est aliud quàm seruitus Dei: hoc est, quando imperando ac præcipiendo non suæ ipsorum libidini, sed diuinæ seruiunt voluntati: nec tyrannicum illud vsurpant:

*Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas*: sed dicunt:

*Sic volo, sic iubeo, quia sic diuina voluntas*

*Mandat, cui soli cuncta subesse decet.* Nequeunt satis admoneri, non se rerum dominos, sed seruos esse Dei. Alioqui poterat Propheta dicere: *Et nunc reges ac iudices terræ sapienter regnate ac iudicate.* Quid enim peculiarius ad regem, quàm regnare: & ad iudices, quàm iudicare, pertinet? Verùm quoniam alioqui regnandi ac iudicandi titulis plus æquo insolescunt, haud præter rationem factum est, vt seruitutis admoneantur. Notent hunc locum etiam illi, qui negant regiam potestatem, ac secularem, vt vocant, magistratum, habere quod in causa religionis agat. Admonet Spiritus sanctus reges ac iudices terræ, vt Domino seruiant. Intelligit autem de seruitute, quæ Christo filio Dei debetur. Respondeant hic, qua in re principes Christo seruire debeant, si in religione nihil prorsus est, quod per eos administrari possit vel debeat. Regnum Christi in cordibus credentium est, & spiritu constat: verum est. At quod internos animi motus attinet, ne illorum quidem opera aliquid præstare potest, qui verbum Dei prædicant, nisi accedat Spiritus sancti afflatus. Quis autem interea sanæ mentis negabit, prædicatione verbi seruire Domino? Quando igitur principes potestate sua hoc curant, vt verbi doctrina retineatur in Ecclesia, idololatria & falsi cultus tollantur, ministri Ecclesiæ commodè alantur, & aduersarij reprimantur: deinde vetant, ne nomen Dei blasphemetur, & curant vt piè viuentes securè agant, impij verò & irrequieti puniantur & cohibeantur: quomodo Christo non seruiunt? Objicit hunc locum Augustinus Donatistis, Epistola 50. vbi sic dicit: Nondum autem agebatur, quod paulò post in eodem Psalmo dicitur: *Et nunc intelligite*, &c. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Quomodo ergo reges Domino seruiunt in timore, nisi ea, quæ contra Domini iussa fiunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim rex seruit, quia homo est: aliter, quia etiam & rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo

fid eliter;

**A** fideliter: quia verò etiam rex est, seruit, leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti vigore faciendò. Sic seruiuit Ezechias, lucos & templa eidolorum, & illa excelsa, quæ contra præcepta Dei fuerant cõstructa, destruendo. Sic seruiuit Iosias, talia & ipse faciendò. Sic seruiuit rex Niniuitarum, vniuersam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo. Sic seruiuit Darius, eidolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sic seruiuit Nabuchodonosor, de quo diximus, omnes in regno suo positos à blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo seruiunt reges Domino, in quantum sunt reges, cum ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi reges. Cum itaq; nondum reges Domino seruirent temporibus Apostolorum, sed adhuc meditantur inania aduersus eum, & aduersus Christum eius, vt Prophetarum prædicta omnia complerentur: non vtiq; tunc poterant impietates legibus prohiberi, sed potiùs exerceri. Sic enim ordo temporum voluebatur, vt & Iudei occiderent prædicatores Christi, putantes se Deo officium facere, sicut prædixerat Christus: & gentes fremmerent aduersus Christianos, & omnis patientia martyrum vinceret. Postea verò quàm cœpit impleri quod scriptum est: Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes seruient illi: quis mente sobrius regibus dicat: Nolite curare in regno vestro, à quo defendatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri? Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse siue religiosus, siue sacrilegus. Quibus dici non potest: Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus? Cur enim, cum datum sit diuinitus liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? *Hæc ille.*

Obijciunt quidam Ecclesiam Apostolorum, in qua nihil potestatis fuerit regibus, principibus, ac reliquis magistratibus: indeque colligendum putant, etiam posterioribus seculis nullum esse debere vsum magistratus in Ecclesia. Boni homines, dedissent Apostolorum ætati fideles reges ac principes, vidissent vtiq; vsum illorum ac seruitutem Domini in Ecclesia. Iam cum impij essent ac persecutores, quisnam Apostolorum eos ad seruiendum in Ecclesia Domino adhortandi causam habuisset? Obiectioni huic & Augustinus Epistola 48. ad hunc modum respondit: Non inuenitur exemplum in Euangelicis & Apostolicis literis, aliquid peritum à regibus terræ pro Ecclesia, & contra inimicos Ecclesiæ. Quis negat non inueniri? Sed nondum implebatur ista propheta: *Et nunc reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore.* Adhuc enim illud implebatur, quod in eodem Psalmo paulò superius dicitur: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astitērunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.*

**B** nunc habet Ecclesia. Temporibus itaq; Apostolorum & martyrum illud implebatur quod figuratum est, quando rex memoratus pios & iustos cogebat adorare simulacra, & recusantes in flammis mittebat. Nunc autem illud impletur, quod paulò post in eodem rege figuratum est, cum conuersus ad honorandum Deum verum decreuit in regno suo, vt quicumque blasphemaret Deum Sidrac, Misac & Abdenago, pœnis debitis subiaceret. Prius ergo tempus illius regis significabat priora tempora infidelium regum, quos passim Christiani pro impijs: posterius verò tempus illius regis significauit posteriorum regum iam fidelium tempora, quos patiuntur impij pro Christianis. *Hæc ille.* Quibus eundem errorem in Donatistis fuisse, & à sancto hoc viro fortiter repressum esse videmus.

*In timore.* Primùm hîc notandum est, quòd seruituti adiungitur timor. Seruorum est, timere dominum, cui seruiunt Sic Malach. 1: Si Dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit Dominus exercituum. Deinde obseruandum est, quòd timor hic qui Domino debetur ab omnibus, sicut Ecclesiastes cap. vlt. docet, regibus & iudicibus terræ peculiariter, tanquam peculiaribus Dei seruis imponitur: id quod magna ratione à Spiritu sancto factum esse credendum est. Sicut enim cum primis regum ac iudicum est, intelligere, erudiri, ac seruire Domino: ita & peculiariter ad eos pertinet, vt Dominum, cui seruiunt, timeant. Et præterea admonitione hac etiam ob eam causam opus habent, quòd præter timorem Dei nihil est, quo quasi freno quodam in officio retineantur, ne in tyrannidem, ac quidlibet audendi temeritatem excurrant. Subditi timore magistratus cohiberi possunt, ne quid delinquant: at ipse magistratus nisi timore Dei restringatur, omnium facillimè insolescit, & pro libidine dominabitur. Sic iudex ille iniquus in Euangelio, qui nec Deum timebat, nec homines reuerabatur, viduæ oppressæ succurrere volebat. OBSER. 5.

*Et exultate cum tremore.* Pro gemina, quam supra assignauimus, huius particulæ sententia, nascitur etiã gemina obseruatio. Si de ea exultatione intellexerimus, qua reges ac principes in eo, quòd subditis imperant, exultant: admonemur, cauendum esse magistratibus, ne ita exultent imperando, vt interea timorem ac tremorem, quo ipsos cum primis Domino seruire concernit, abijciant: sed exultationi illi tremorem erga Dominum adijciant, atque ita temperanter ac moderatè exultent. Carnis enim ingenium est, vt exultando dissoluatur. vnde & Apostolos suos Christus adinuit, ne in hoc exultarent, quòd dæmonia ipsis subijcerentur. Videbat enim eos ob eam causam exultantes. vnde & dicebant: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Si verò de exultatione spiritus intellexerimus, qua non in gloria terreni regni, sed ipso Domino, cui seruiunt magistratus, exultandum adinonet Propheta: notandum est, quomodo etiam hîc coniungantur exultatio & tremor, res inter se diuersissimæ, iudicio carnis, sed vsu & exercitio spiritus coniunctissimæ. Exigitur exultatio spiritus ab illis, qui reliquis imperant: qua videlicet alacres sũt, & exultantes in Domino cui seruiunt. Primùm enim felicitatis loco censendum est, seruire Domino. OBSER. 6.

Luca 10.

Domino. Ob hanc se seruitutem reges ac principes magis, quàm propter terreni imperij gloriam felices iudicare debent. Deinde & Dominus ipse hoc ab illis exigit, cui non probatur coacta seruitus, quæ spiritum gignit tristem ac tergiuersantem. Huic autem exultationi adiungitur tremor, qui illam moderetur: ne mentes etiam in Domino exultantium dissoluantur ac diffuant. Vt enim diuina bonitas meritò seruiens sibi, exultantes & alacres: ita iustitia eius, & infinita maiestas, rectè tremescentes ac reuerentes reddit. Vtrunque hunc affectum parit amor erga Dominum sincerus & integer. Vxor maritum suum diligens, seruiendo illi & exultat, & tremit. Ament principes Dominum, & proculdubio seruiant illi, iuxta propheticam hanc admonitionem, cum exultatione & tremore. Cogitent, quàm ipsi à seruis suis vtrunq; exigant, vt & animo alacri & exultabundo, & iuxta cum tremore ac reuerenter imperata faciant: atque tales etiam seipfos Domino sitiant.

OBSER. 7.

*Osculamini Filium.* Notandum hoc loco est, quæ sit vera illa seruitus Domini, de qua dictum est supra: *Seruite Domino in timore*: nempe, qua filius Dei Christus, Rex & Seruator cognoscitur & colitur. Hac discernimur Christiani à Iudæis & Turcis, qui & ipsi serui ac cultores veri Dei videri volunt: verum ita, vt filium Dei, cui Pater omnem potestatem dedit, excludant, atque ita Patrem in Filio respuant. Sicut enim Pater in Filio colitur, ita rursus in illo contemnitur ac respuitur. Sunt itaque Iudæi ac Turci propheticæ huic admonitioni inobedientes, nihil minus quàm cultores Dei, quem in Filio summa contumelia afficiunt.

Expendamus etiam hoc, quanta sit ista Christi filij hominis maiestas, potentia & gloria, quòd ad pedum illius oscula reges terræ, absq; vlla discriminatione, quanti quanti sint, vocantur. Quisnam mortalium ab hac submissione excipitur, quando illa ipsis quoque regibus imponitur? Vidit hoc Romanus pontifex: ideoque vt primatum super omnes Christianos & obtineret & retineret, eò contendit, vt osculo pedum ab Imperatoribus, regibus, ac summis primatibus adoretur: atque ita gloriam hanc Christi, quam ille nemini suorum communicauit, falsò nominatus vicarius, in se transtulit. Verùm scriptum est: *Qui se ipse exaltat, humiliabitur.* Sententiæ huius vis & veritas, sedem hanc superbiam, tanquam Domino exosissimam, ad ipsum vsque fundum inferni cum Satana illius autore deturbabit.

OBSER. 8.

*Ne quando irascatur.* Hostes itaque Christi non solùm iridentur à Deo, tanquam stulti & insani, sed iræ illius tanquam impij & rebelles subiiciuntur. Si non terret irrisio stultos, terreat ira Dei rebelles & impios. Cogitent, quàm sit ipsorum ira terribilis & horrenda subditis: rationemque in eant, nisi prorsus omni ratione destituti sunt, quàm sit ipsis ira Dei, cui nemo resistere potest, intolerabilis & horrenda futura. Quod autem ad consolationem Christi fidelium attinet, colligamus ex hoc loco, quàm sint Deo patri accepti ac dilecti, qui Christum filium eius osculantur & colunt. Si namq; irascitur illis, qui hunc respuunt: quis dubitat illi acceptissimos esse, qui eum amplectuntur & adorant? Fuerit siquidem omnium absurdissimum, irasci immorigeris, & iuxta non fauere ac bene velle morigeris. Quis enim vtrv iniquissimus tyrannus, inter morigeros & immorigeros nõ discriminat? Absit igitur, vt Deo iniquitatem hanc demus, quæ in tyrannis quoq; ægrè reperitur.

OBSER. 9.

*Et amittatis viam.* Notandum hinc est, viam gratiæ Dei præcludi illis, qui Christo per impoenitentiam reluctantur, atque iram Dei ob eam causam in se prouocant. Non omnis ira Dei, salutis viam delinquentibus occludit. Nam & filijs suis irascitur, & delinquentes castigat: sed ita, vt interim aditum illis ad thronum gratiæ non deneget. At illis qui Christo se subdere nolunt, ita irascitur, vt prorsus eos à via gratiæ ac salutis excludat. Nec immeritò. Est enim Christus ostium, via & vita: nec fieri potest, vt extra illum quisquam gratiæ viam teneat.

OBS. 10.

*Cum exarserit breui ira eius.* Duo sunt hic notanda. Vnum, iram Dei aduersus hostes Christi fore vehementissimam. Innuitur hoc, cum dicit: *Cum exarserit ira eius.* Alterum, exarsuram hanc breui. Colligamus hinc alia duo: nempe, gratiam Dei Christi fidelibus paratam fore amplissimam: deinde, breui futuram, vt hanc consequamur. Seruiat hæc particula contra tentationem dilationis.

OBS. 11.

*Beati omnes qui confidunt in eo.* Diligenter notanda est hæc exclamatio. Primum in eo, quòd non dicit, *Qui sine peccato, vel prorsus iusti sunt*: sed, *Qui confidunt in eo*. Deinde in eo, quòd nõ aliquos tantùm, sed omnes in vniuersum qui in eo confidunt, beatos esse prædicat. Videmus itaq; hoc fiducia in Christum dari, vt, cum exardescat ira Dei aduersus impios, securi sint credentes in illum futuri: id quod Christus ipse sæpenumerò inculcauit, vitam æternam in se credentibus pollicitus.

## PSALMVS III.

PSALMVS DAVID, CVM FUGERET  
à facie Absalomi filij sui.

ARGVMENTVM PSALMI.

**A**DMIRATVR hoc Psalmo Propheta multitudinem hostium suorum, contra se insurgentium: verum simul exprimit, qua sit erga Deum fiducia, & quàm securus omnium aduersariorum suorum conatus suscipere, deus, faciat. Auxilium etiam Dei implorat, certò futurum esse, vt hostes diuinitus puniantur, ac populus sibi concreditus diuina benedictione potiatur. Quando verò Psalmum hunc composuerit, ipsa docet epigraphæ, qua historia Absalomis, 2. Sam. 15. & 16. descripta meminit.

Vtus Psalmi.

Seruit hic Psalmus omnib. seruis Dei, præcipuè in magistratu constitutis, qui per improbitatē suæ subditorum,

**A** ditorum, siue aliorum, haud secus exagitantur, quàm si Domino ipsi displiceant, & ab illo sint proiecti. Admonentur illi presenti Dauidis exemplo, quàm constanti debeant à Domino, cui seruiunt, pendere fiducia, opemq; illius implorare, nec de illa dubitare: cum certum sit, eum seruatorum suorum preces exaudire, & rebelles opprimere. quod non modò Psalmus hic, sed & ipsa historia declarat.

Diuisio Psalmi.

- Sunt autem quatuor huius Psalmi partes. 1. Prima admirationem habet de multitudine hostium: vers. 1. & 2.  
 2. Secunda fiduciam erga Deum, & securitatem contra impetum hostium, quamuis multorum, exprimit: versibus 3. 4. 5. & 6.  
 3. Tertia, diuini auxiliij inuocationem ponit: versu 7.  
 4. Quarta Psalmum fiduciali epiphonemate claudit: versu vltimo.

PRIMA PSALMI PARS.



**DOMINE**, quàm multi sunt qui tribulāt me? multi insurgūt aduersum me.

VERS. I.]

2. Multi dicunt anima mea: Non est salus ipsi in Deo. Selah.

LECTIO.

Domine, quàm multi sunt. ] Græcus illud ברו רבי, reddidit: ἵνα πολλοὶ ἠκούσωσιν: id est, Quid multiplicati sunt: vt non solùm de multitudine hostium admiretur Propheta, sed & rationem illius inquirat.

Multi dicunt anima mea. ] Ebr. לנפשי. Kimhi idem putat esse atque בגופי: id est, de anima mea: sicut illud Gen. 26. וישאלו אנשי המקור לאשתו: id est, Et interrogauerunt viri loci vxori eius: pro, de vxore eius. Verùm non est opus, vt ad hunc modum legamus. Simpliciter dicit, eam loquutionem animæ suæ: id est, in animam suam, dici.

Non est salus ipsi. ] Chaldæus habet לית פריקתא ליה: id est, Non est redemptio ei. Arabs reddidit: Non est tibi liberatio.

Selah. ] De hac vocula nihil certi traditur, neque ab Ebræis ipsis, neque à Græcis, qui loco illius ἀνάπαυσις ponunt: neque à Latinis, qui illam dissimulant, sicut & Arabes. Chald. vertit per לעלמין: id est, in secula. Alij dicunt, idem esse atque באמת id est, in veritate, ac ceriò. Alij arbitrantur respirationis, alij vocis exaltandæ, alij animi intendendi notam esse. In hac sententiarum varietate satius est filere, quàm opinionem opinionibus addere. Proinde visum est dictionem hanc suis locis, absque vlla versione, vt in Ebræo habetur, apponere, ac sensum illius cuius liberum permittere.

EXPLA-  
NATIO.  
Vers. 1, 2.

**B** Domine, quàm multi sunt qui tribulant me. ] Hac prima Psalmi parte Propheta de eo admiratur, quòd nò vni & alteri, sed tam multis factus sit inimicis obnoxius: ita vt non externos modò, Philistæos, Ammonitas, Moabitas, Idumæos, &c. sed & subditos suos, imò ipsum quoque filium, cum singularibus amicis, hostes patiatur. Admirationis huius vehementiam per id exprimit, quòd non simpliciter dicit, Domine, multi sunt qui tribulant me: sed, Domine, quàm multi sunt? & quòd secundo ac tertio multitudinis dictionem repetit, dicens: Multi insurgunt aduersum me, multi dicunt anima mea: Non est salus ipsi in Deo, &c. Quibus singulis particulis illud Quàm repetendum esse apparet, vt legamus: Quàm multi insurgunt aduersum me? Quàm multi dicunt anima mea, &c. Admiratur autem non solùm de multitudine inimicorum suorum, sed de malitiosis illorum conatibus queritur, quibus ipsam tribulabant, ac rebellando impugnabant: & præcipue de eo, quòd non solùm cogitabant, sed & confidenter dicebant, nullam ipsi ampliùs salutem esse in Deo, quasi ab illo quoq; proiectus esset: atq; hoc nomine confidentiùs ac pertinaciùs contra ipsum insurgabant, quòd arbitrabantur neminem prorsus futurum, à quo conseruaretur, ne Deum quidem, à quo fuerat sæpenuerò manibus Saulis & aliorum inimicorum ereptus.

Domine, quàm multi sunt qui tribulant me. ] 1. Videmus hoc exemplo, quid expectandũ sit bono principi, si quando principatus ipsius felicitas nò nihil inclinet. Vbi rebus prosperis vtitur, multos numerat amicos, à quibus per assentationem colitur: verùm si aduersa ingruant, non solùm deseritur, sed & hostes ferre cogitur, quos antea amicorum loco habebat.

OBSER. I.

2. Deinde notandum est, diuina prouidentia fieri, vt etiam pij ac boni inimicorum multitudine exerceantur, & humilientur. Quæ namq; Dauidi per coniurationem filij Absalom acciderunt, disciplina Domini contigerunt, quam illi propheta Nathan prædixerat. Siquidem in manu Dei est, facere vt vel amicorum multitudine colamur, vel multis inimicis contra nos insurgentibus infestemur, & humiliemur. Quòd ergo boni ac fideles in hoc Mundo inimicorũ multitudine grauantur, non solùm malitiæ filiorum huius seculi, quorum infinita multitudo est, sed cum primis diuinæ est adscribendum prouidentia, quæ omnia ad salutem electorum dispensat & temperat.

3. Tertio. Quòd autem de multitudine inimicorũ Dauid cum admiratione queritur, indicium est, quòd se immeritũ iudicat, qui multis sit exosus, & quòd id ipsum malè habeat. Alioqui hac de re nec quereretur, nec admiraretur meritò. Notandum igitur hîc est, quàm molestũ sit homini pio, innocenti, & de rebus humanis bene merito, si incidat in multorum, præcipue cognatorum ac familiarium, inimicitiam: cum cupiat prodesse omnibus, obesse nemini: malitq; omnium, quantum in se est, inimicitiam, quàm alicuius inimicitiam. Sic & Hieremias eadem molestia affectus dicebat: Væ mihi, mater mea. Quare genuisti me virũ rixę, virum discordiæ in vniuersa terra? Non foeneraui, nec foeneraui mihi quisquã: & tamẽ omnes maledicũt mihi. Pij, boni & honesti viri, vt p animi sui bonitate bene volunt omnibus: ita vicissim aliorũ amicitia delectantur, & inimicitia grauatur. Mali animi indicium est, susq; deq; facere, amerisne vel odio habearis ab illis, quibus cum viuendũ est.

Hier. 15.

4. Quartò. Quòd non solùm admiratur & queritur Propheta, sed id in conspectu Dei facit, dicens: Domine quàm multi sunt qui tribulant me? cùm tamen in eam calamitatem ab ipso Domino coniectus esset: documento nobis sit, non esse absurdum in oculis Dei queri de afflictionibus diuinitus illatis. Alioqui, cùm omnia aduersa pijs diuina dispositione inferantur, de nulla vnquam tribulatione Deum rectè interpellarent.

OBSER. 2. *Multi dicunt animæ meæ.* Notandum hïc est, quo loco sit pio homini fiducia de salute Dei concepta. Dicit Propheta, quòd inimici dicebant: *Non est salus ipsi in Deo*, dictum esse animæ suæ: id est, verbum hoc animam suam velut mucrone quodam transuerberasse. nihil enim minùs ferre potest animus pius, quàm ita proiectum esse à Deo. vt in illo non sit amplius vlla speranda salus, in quem vnũ ille omnem fiduciam coniecit. Graue est, deseri ab omnibus, nec vllo humano potiri præfidio: verũ omnium grauissimum est, ab ipso quoque Deo deseri. id quòd Christus ipse in cruce sensit, cùm diceret: *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me?*

OBSER. 3. *Non est salus ipsi in Deo.* Notanda est hæc vox impiorum. Animabant sese mutuo his, ad profectum conceptum facinus, vt ob id animosius contra Dauidem insurgerent, quòd videretur à Deo derelictus, à quo sepe fuerat in maximis periculis conseruatus: sicut alibi dicunt: *Deus dereliquit eum: persequimini & comprehendite eum.* Ergo impiorum quoque testimonio frustra impetitur, quamuis à multis ac potentibus, cuius salus adhuc in Deo est. Tanta videlicet est veritatis huius certitudo, quòd perdi nequeat, quisquis diuina protectione potitur, vt hanc & impii cognoscant. Cur ergo non & ipsi spem suam in illum collocant? Videmus ergo, non esse satis, scire quòd Deus sit, & quòd ille suos tutetur: nisi adsit & ea fides, quæ bonitate illius nitatur.

Simul & hoc notemus: Si cognouerunt regi suo nullam salutis spem reliquam esse in Deo, cur hac in re, verè misera, illi non condolent? Sed tam abest, vt calamitate regis sui à Deo, vt putabant, deserti ad commiserationem flectantur, vt pro malitia sua inde potiùs perdendi illum occasionem & consiliũ capiant. Expressum est hïc malitiosum & hostile impiorum hominum ingenium.

SECUNDA PARS PSALMI.

- 3. Tu autem Domine protector meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.
- 4. Voce mea ad Dominum clamabo, & respondebit mihi de monte sancto suo. Selah.
- 5. Ego recumbam, ac dormiam: euigilabo, quoniam Dominus sustentabit me.
- 6. Non timebo myriades populi, quæ me circumquaque obsident.

LECTIO. *Tu autem Domine protector meus es.* Ebr. יְהוָה אֱלֹהֵי מִצְרָיִם אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל: id est, *Et tu Domine scutum pro me.* Quia metaphorica loquutione nihil dicit aliud, quàm Dominum esse protectorem suum. vt rectè reddiderit Græcus: *ὁ θεὸς ὁ σωτὴρ καὶ ἡσυχία μου ὁ θεὸς.* Et Arabs: *Et tu Domine adiutor meus. Ego recumbam, ac dormiam, euigilabo, &c.* Ebr. אָנֹכִי יָשָׁן וְעָמַתְי וְעָמַתְי וְעָמַתְי: id est, *Ego iacui, & dormiam, euigilau.* Arbitror autem satis constare, commodius esse vt reddamus: *Ego recumbam, ac dormiam, euigilabo:* præsertim cùm sequatur *יְהוָה יִשְׁתַּעֲבֵד לִּי:* id est, *Quoniam Dominus sustentabit me.* quemadmodum & Græcus hanc particulam reddidit dicens: *ὁ θεὸς ὁ σωτὴρ καὶ ἡσυχία μου.*

Verf. 6. *Non timebo myriades populi.* Sic Græcus reddidit. Chaldæus verò sic, *בְּרַבְרֵי אֲחֵרִי לֹא דַעֲבָמִי:* id est, *Non timebo à contentione populorum.* Varietatis huius causa est, quòd רַב & רַבָּב non solùm multitudinis, sed & contentionis significationem habent. vnde בְּרַבְרֵי: id est, *contentio,* deducitur. Verùm quia non est in Ebreo רַבָּב, sed duplicata litera, רַבְרַבָּב, vt deducta sit hæc dictio non à רַבָּב, quòd contendit, sed à רַבָּב, quòd multiplicauit significat: certius est vt legamus: *A' myriadibus populi:* quàm *A' contentionibus populi* Arabs. multitudinis dictonem posuit, dicens: *A' multitudine.*

*Quæ me circumquaque obsidēt.* Ebr. אֲשֶׁר סָבְבוּ שְׂתָר עָלַי: id est, *Quæ per circuitum posuerunt aduersum me.* Græcus sic: *τῶν ἐκκαθ' ἑαυτοὺς ἐπιφύγοι μοι:* id est, *Quæ per circuitum simul insidiantur mihi.*

EXPLANATIO. *Tu autem Domine protector meus es.* Hæc est altera Psalmi pars, qua se contra occurrentem tentationem firma fide ac fiducia confirmat. Quoniam aduersarij dicebant: *Non est salus illi in Deo:* contra hæc falsissimam ilorum persuasionem, qua ad rebellandum animabantur, magna fide & alleueratione ad Deum dicit: *Tu autem Domine protector meus es, gloria mea, & exaltans caput meum:* q. d. Insaniunt contra me inimici mei hoc nomine, quòd deseruisse me Domine, nec vllam amplius rationem mei habiturus videris: verùm decipiuntur, seq; ipsos, non me, temeritate sua perdent. Noui enim omnium certissimè, te meum esse protectorem, quòd sæpenuerò expertus sum: scio item, quòd in hanc regum gloriam exaltatus sum, non esse per meam ambitionem, neque cuiusquam mortalium studium, sed per te factum: vt tu verè sis gloria mea, & exaltatio capitis mei. Itaq; non mihi aduersantur inimici mei, sed tibi. neque tam contra me, quàm contra te insurgunt. Illud, *Exaltans caput meum:* licet hïc pro exaltatione in regnum accipiatur, inuenias tamen alibi sumi pro liberatione ex periculis: vt infrà Psalmo 27. versu sexto, & in historia Ioachimi regis Iudah, 2 Reg. vltimo.

Verf. 4. *Voce mea ad Dominum clamabo, & respondebit mihi.* Hæc est fiducia Prophetæ erga Deum protectorem suum, ex fide præmissa, & certitudine conscientie ortum habens. Loquitur sibi ipsi, seq; magnæ fiducia ac spe potiundi diuinitus auxiliij solatur, quòd certus sit exauditurum Deum preces suas. Notanter autem, non simpliciter dicit: *Clamabo ad Dominum, & respondebit mihi:* sed vt emphasim fiducia suæ erga Deum exprimat: *Voce mea, inquit, ad Dominum clamabo, & respondebit mihi de monte sancto suo:* q. d. Vique adeò non sum abiectus à Deo, vt sciam illum vocem meam in ipso cælo, monte sancto suo, exauditurum, mihiq; responsurum. Eiectus sum à loco sanctuarij ac tabernaculi Dei, quòd in Hierusalem est: verùm adhuc mihi accessus ad montem sanctum Dei, cælestem illius

A illius habitationem patet, ubi preces meae audientur, optatumque auxilium contra rebelles im-  
trabunt.

Si legeris cum Graecis in praeterito ad hunc modum: *Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo*: commemoratio est accepti olim caelestis auxilij, ad hoc, vt in praesenti tribulatione fiduciam ac spem denuo potiundae opis obfirmet: id quod illi solenne est.

*Ego recumbam ac dormiam.*] Hi duo versus, quintus & sextus, securitatem exprimunt animi firma fiducia in protectione Dei conquiescentis. Ego, inquit, interea dum inimici mei insaniunt, tumultuantur, & nescio quam rerum perturbationem parturiunt, ita vt & somnum oculis suis aegerrime admittant, absque omni sollicitudine suauissimè dormiam, & placidè euigilabo: haud aliter, quam si in ipso sinu Dei mei, quò nullus terror appropriat, conquiescam. Causam huius securitatis tribus verbis complectitur, dicens: *Quoniam Dominus sustentabit me*: ne securitas ista temeritatis potius sit, quam certae fiduciae.

Mox subiungit, quam hac fiducia diuinæ sustentationis fretus, quamuis innumeram hostilis ac rebellis populi multitudinem, etiam circumcirca castrametantem, seque obsidentem, haudquamquam timeat, dicens: *Non timebo myriadas populi, &c.* Loquitur autem de populo Israelis, qui vniuersus Abfalonem toto corde sequebatur.

*Tu autem Domine protector meus es.*] Notandum hic est ingenium fidei, quomodo illa sese in tentationibus gerat. Magna premebatur calamitate pijssimus rex, quam non ignorabat diuinitus ac merito immiffam. Eijciebatur regno per filium ac populum rebellem: sentiebat se multis factum exosum, quod & supra prima Psalmi parte conquestus est: sciebat vulgò spargi, desertum se esse à Deo, nec vllam sibi amplius salutis spem esse reliquam. His velut machinis impetitus, fidei beneficio firmus & infractus perstat, dicens: *Tu autem Domine protector meus es.* Cogitemus hinc, quam sit fidei natura admirabilis, qua David hic contra conscientiam grauisissimi facinoris in Vriam cõnisi, contra comminationem propheticam, contra ipsam rerum praesentium & vrgentium cõditionem ac dispositionem, contra vulgatum ac publicum de se iudicium, constantem sibi adhuc diuinam protectionem pollicetur. Quæso quid vsipiam dabis ex omnibus rebus ac viribus humanis, quod tali fidei in rebus aduersis & adflictis comparari possit? Rex erat David, opes habebat regias, potentiam regiam, gloriam regiam, splendorem nominis ex bellis feliciter gestis eximium, incomparabilem rerum gerendarum dexteritatem, vsum & experientiam: verum quid hæc omnia, tanta calamitate presso conferebant, quod vni huic fidei adæquari queat? Regnum, regni potentia, gloria, opes, obedientia subditorum, & quæ huius generis erant alia, vno illi die abripiiebantur: at fides ista vbique victrix, quam Dominus omnia posse dicit, sola indiuidua comes, & bonum ἀνάλωτον, pijssimum peccatus in hisce calamitatibus indiuisè comitabatur & erigebat.

B Notanda est etiã metaphora, quam Ebr. habet, dicens: *Et tu Domine רצח בערר* id est, *scutum pro me*, vel *circa me*: qua pulchrè, quasi ob oculos, diuina protectio in rebus aduersis depingitur. Sicut enim vsus scuti in bello & conflictu est, vt iacula & ictus, id est, totum illum hostilem impetum in se excipiat, sustineatque, & inuictò robore vincat, adeoque militem illæsum custodiat, ac victorem reddat: ita diuina protectio pro suo robore, prorsus inuictò, animum credentem fortiter tuetur, & quauis superata tentatione vbique victorem reddit. Sicut ergo miles firmo ac fido scuto protectus, hostilem incursum: ita pius ac fidelis animus, diuina protectione munitus, quamuis tentationem securus excipit ac vincit.

*Gloria mea, & exaltans caput meum.*] Notemus hinc, quomodo pijssimus rex diuinæ protectionis in se fidem ex eo confirmet, quòd sciebat se ab ipso Deo in gloriam ac sublimitatem regni, vnde à filio impio ac populo rebeli deturbabatur, exaltatum. Ideo postquam dixit: *Et tu Domine scutum pro me*: particulã hanc subiicit, dicens: *Gloria mea, & exaltans caput meum.* Obseruemus igitur hoc loco, primum, etiam regi, quamuis à Deo constituto, quamuis iusto, quamuis potènti, ac gestarum rerum gloria claro, opus esse diuinam protectionem: idque aduersus ipsum populum sibi subiectum, nedum contra exteros, & ex professo hostes. Deinde, protectionem hanc non deesse illis, quorum gloria Dominus est, quorum capita non ambitio & regnandi libido, sed dispositio diuina in sublime erexit. Tertiò, quantum fidei & animi illis adferat in rebus aduersis hæc conscientia, qua sciunt se diuina voluntate magistrarus functione ac gloria sublimatos.

*Voce mea ad Dominum clamabo*] Videmus hinc, vnde nascatur fiducia inuocandi Dominum in tribulationibus. Ex fide videlicet, qua Deum protectorem nostrum esse credimus: sine qua fide nemo Deum verè & ex animo inuocabit. Vnde & Apostolus Rom. 10. dicit: *Quomodo inuocabunt eum in quem non credunt?* Notandum autem, quòd non simpliciter dicit: *Voce mea ad Dominum loquar, vel orabo*: sed *Clamabo*, vt ardentem inuocationem intelligamus, qualis eorum esse solet, qui in afflictionibus animo angustiato ad Deum suspirant, & vociferantur: videamusque, etiam in animo fideli ac fiducia erga Deum prædito, locum habere cordis anxietatem. Alioqui vnde hæc ad Deum vociferatio pijssimo regi, de qua dicit: *Voce mea ad Dominum clamabo?*

*Et respondebit mihi.*] Notandum hinc est, quæ sit certitudo fiduciae huius ex fide natæ, qua Deus tanquã protector in rebus adflictis inuocatur. Nihil hinc est vacillationis, nihil hæsitacionis. *Respondebit*, inquit, *mihi*: id est, exaudiet, & iuuabit me. De hac certitudine loquitur apostolus Iacobus cap. 1. dicens: *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur ac circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quòd accipiet aliquid à Domino.

*Et certè non est falsus fidelis rex.* Sicut credidit, ita & exauditus est, & adiutus à Domino.

*De monte sancto suo.*] Adfert hæc particula magnam consolationem animo pio, ex populi Dei ec-

Verf. 5.

Verf. 6.

2. Sam. 5.

OBSER. 1.

OBSER. 2.

OBSER. 3.

OBSER. 4.

OBSER. 5.

clesia eiecto, & condemnato. Locus orandi erat in tabernaculo Dei, tum Hierosolymis constituto, Huius copia erat in hac calamitate pijsimo regi erepta. Verum in eo se solatur, quod aditus ad montem sanctum Dei, ipsum videlicet coelum, precationibus suis adhuc patet. Sit hoc solatio excommunicatis & proiectis, quibus Ecclesiae malignantium nullam amplius in Deo salutem esse dicit, quod adhuc clamantibus ipsis accessus est ad montem sanctum Dei.

OBSER. 6.

*Ego recubam, ac dormiam: euigilabo, quoniam Dominus.* Haec tenus de fide quaedam ac fiducia pijsimi regis erga Deum notauimus: iam consequenter & securitas illius obseruanda venit, qua duobus istis versibus, 5. & 6. recubiturum se ac dormiturum dicit, nec formidaturum etiam myriadas populi, se circumquaque obsidentis. Magnum donum Dei est, securum esse in rebus aduersis, ac liberum ab omni metu periculi: sicuti vicissim magna miseria est, non solum expositum esse rebus aduersis, sed & metu illarum excrucitari: quo plerunque animus anxius magis affligitur, quam dolore praesentium tribulationum. Verum, ut donum hoc a falsa securitate distinguatur, obseruandum est primum, vnde vera ista securitas oriatur, deinde qualis in se sit, Multa disputant philosophi de abijciendo futurorum malorum metu, & animi securitate retinenda: argumentaque colligunt vndique, quibus persuadeant, stultum esse si quis sibijpsi miseriam hanc metus & anxietatis asciscat: cum illa quae timentur, fortasse nunquam ventura sint: vel si ventura sunt, tantum non sint allatura mali, quantum animus metu perculsus suspicatur ac timet. Ideoque homini sapienti, prudenti, forti & honesto, eam securitatem tribuunt ut ad omnia, quantumuis magna ac multa imminencia pericula, philosophiae & virtutis suae beneficio sit imperterritus. Ad haec reperiuntur, qui nescio qua temeritate ac desperatione ad quaeuis futura mala profus securi sunt, & omni metu vacui, dicentes: Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus. At hic noster in rebus aduersis securus est, nec virtutis suae persuasione, nec aliqua desperationis temeritate, sed ex fide ac fiducia diuinae protectionis, vnde & causam securitatis suae abijciens, dicit: *Quoniam Dominus sustentabit me.*

Ita & Prouerb. 3. legitur: Si dormieris, non timebis: quiesces, & suauis erit somnus tuus: nec pauebis repentino terrore, ab irruentibus in te potentatibus impiorum, Dominus enim erit a latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris. Ex hac fiducia, vera nascitur animi securitas.

Deinde notandum est, qualis sit ista piorum securitas. Qui vel propriae virtutis suae persuasio, ne, vel animi leuitate ac temeritate securi sunt, opem Dei non implorant: at animus piorum, quantumuis securus, sit nihilo tamen minus ad Deum pro auxilio clamat, sicut hic noster supra dixit:

*Voce mea ad Dominum clamabo.* Nam ex eadem fide, vnde securitas ista nascitur, prouenit etiam ardens diuinæ opis inuocatio. Est itaque piorum securitas multum diuersa a philosophica illa, & ea quae leuium ac temerarium hominum est: siue fontem illius, siue qualitatem respicias.

## TERTIA PARS PSALMI.

7. *Surge Domine, serua me Deus meus, quoniam percussisti omnium inimicorum meorum maxillam, dentes impiorum contriuisisti.*

LECTIO

Illud, *Quoniam percussisti omnium inimicorum meorum maxillam*, Graecus sic reddit: *ὅτι οὐκ ἴναρασ ἠάρας τοὺς ἐχθροὺς τοῦ πονηροῦ*: id est, Quia tu percussisti omnes eos, qui inimicantur mihi frustra. Ebr. est *אֵינֶם*: id est, *gena* vel *maxilla*, quod Graeca editio habet, *αἰσίου*: id est, *frustra*: intelligens non Deum frustra percussisse inimicos Dauidis, sed hos Dauidi frustra: id est, sine causa inimicatos. Chaldaeus verò Ebraeum sequutus, vertit *מַחֲרֵם*: id est, *maxillam eorum*.

EXPLANATIO.

Habet hic versus implorationem diuini auxilij, qua Propheta id quod supra versu quarto dixit, nempe: *Voce mea ad Dominum clamabo*, iam adimplet. Est autem haec tertia Psalms pars bimembris. Nam primum excitat Deum velut dormientem, ut se cōseruet, cum dicit: *Surge Domine, serua me Deus meus*. Deinde praeteritorum temporum pericula in memoriam reuocat, vnde fuerat diuinitus percussis inimicis omnibus ereptus, atque inde fiduciam impetrandi auxilij confirmat, ac veluti rationem eius reddit, quod dixit: *Serua me Deus meus*. Quid Te Deum meum inuoco, ut surgens eo serues me. Nam haec tenus omnes inimicos meos, Salutem, Philistaeos, Idumaeos, Moabitas, Ammonitas, Syros, &c. percussisti, & humiliasti, atque ita declarasti esse te Deum meum: id ut etiamnum facias, oro: ac facturum etiam te, confido.

OBSER. 1.

*Surge Domine.* Metaphorica haec loquutio frequens est in Scripturis, qua Deus velut dormiens quispiam athleta piorum & adflictorum inclamationibus excitatur: cum scriptum sit: Non dormiat qui custodit Israel. Verum ita patientia Dei exprimitur, qui cum ad impiorum maliciam ad tempus certis rationibus conuiuet, dormire: ac rursus, quando vindictam de reprobis sumit, quasi e somno euigilasse videtur. Admonemur itaque hisce loquutionibus, non ut putemus nos somnolentum habere Deum: sed ut cogitemus, patientiam illius, per quam impij aliquandiu regnant, non esse perpetuam, sed temporariam, ac veluti dormitionem quandam, quam certissima sit sequutura vindicta.

OBSER. 2.

*Serua me Deus meus.* Videmus hic expressum, quod supra de securitate piorum notauimus: nempe, quod illi, quantumuis securi, Deum in tribulationibus inuocent. Quamuis enim securi sint, sciunt tamen, nisi diuinitus adiuentur, fieri posse ut perdantur: atque ideo eadem fiducia qua securi sunt, opem Dei implorant. Certè qui dicit, *Serua me Deus meus*: & periculi sensu non vacat, & de suis viribus nihil praesumit: ac simul significat, vno se niti diuino auxilio.

Notandum etiam est, quam aptè verba coniungat, cum dicit: *Serua me Deus meus*. Quid enim aliud est, esse Deum alicuius, quam seruatorem? Sed hac de re infra Psalms. 2. 2. vers. 9.

Quoniam

**A** Quoniam percussisti omnium inimicorum meorum.] Observemus hinc quomodo Propheta fiduciam impetrandi auxilij, commemoratione præteritarum liberationum, quibus diuinitus è manu omnium inimicorum suorum ereptus fuerat, alat & confirmet. Colligamus & nos ex beneficijs Dei, quibus hæctenus potiti sumus, quanta sit erga nos diuina beneuolentia, beneficentia, ac prouidentia, vt hoc confidentius pro impetrando auxilio clamemus. Subit hinc animum deplorare nostram diffidentiam: hoc est, cordium nostrorum prauitatem: qua sit, vt ne quotidianis quidem beneficijs Dei ad hoc inducamur, vt diuinam erga nos prouidentiam ac bonitatem certò ac liquidò agnoscamus, illiq; nos totos committamus: cum bos & asinus præsepe Domini sui cognoscant, & hodie pabulum ibi quaerant, vbi præterito die sunt pasti.

OBSER. 3.

*Maxillam*] Notanda est hæc loquutio, qua Deum omnium inimicorum suorum maxillam percussisse dicit. His enim verbis vsque ad eò impiorum potètiã extenuat, vt similes eos faciat pueris imbellibus, quos vt ferias, non armis opus habeas, sed alapis tantum vtare: atque ita diuinam potentiam celebrat, quæ omnes impios, quantumuis potentes, multos & armatos, haud maiore negotio conficiat, quàm si athleta quisquam imbellem pusionem alapa percutiat. Horrendus videbatur impiorum, multorum ac fortium exercitus, omnis generis armis ac minacissima ferocia instructus: verum tam facillè terribiles illos hostes cæfos esse dicit, quàm si puer quisquam inermis alapa percutiatur. Seruiet itaq; ista loquutio expendendæ diuinæ potètiæ, & simul contemnendis impiorum hominum conatibus.

OBSER. 4.

*Dentes impiorum contriuisisti.*] Etiam hæc particula notanda est: quæ impios bestijs comparat dentibus ad lacerandum & commolendum instructis. Sicut enim bestia huiusmodi dentibus exritis minùs habentur noxiæ ac formidabiles: ita feroces illæ Philistinorum, Idumæorum, Ammonitarum, Moabitarum ac Syrorum gentes, vltione diuina amissis viribus, quibus Israëlẽm perdere ac vocare conabantur, iam tum factæ erant innoxia, & imperio Israëlítico subiectæ. Ita scilicet impiorum potentiam Deus in gratiam suorum, ne tantum ledèdò progrediantur, quantum præsumunt, infringere solet. Quid hodie Turcorum Imperator aliud esse videtur, quàm bestia quædam immanissima, obuia quæuis minacibus dentibus corripens, discernens ac comminuens? Clamemus ad Dominum, vt dentes illius horrendos illos ac minaces potentia sua infringat, ac dentatam hanc beluam edentulam ac ridiculam reddat.

OBSER. 5.

QUARTA PARS PSALMI.

*Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.*

Versus vlt.

**B** Illud, *Domini salus*: Arabs reddidit: *Tibi Domine liberatio*. Propter sequentem videlicet particulam, secundam personam in hac quoque priore posuit. Chaldæus sic: *יהוה רוקחך* id est, *A facie Domini redemptio est*.

LECTIO.

Posteaquam versu præcedenti Dominum omnium inimicorum suorum maxillam percussisse, ac dentes impiorum contriuisse prædicauit, in hanc exclamationem prorupit, qua Domino virtutem saluandi, eamq; bonitatem tribuit, qua populi sui rebus vbique consulat, innumerisque illum beneficijs ac bonis cumulæ. Et hic epiphoneinatis affectus, ex commemoratione præcedentiũ beneficiorum natus est, de quibus versu præcedenti loquutus est dicens: *Quoniam percussisti omnium inimicorum meorum maxillam, dentes impiorum contriuisisti*, vnde & hanc veluti summam collegit ac conclusit: nempe, omnem salutem esse in manu Dei, Dominum esse Deum saluandi, & tantam huius esse bonitatem erga populum, vt benedictione cœlestis res illius vbique prouehat & secundet, quod exprimit, cum dicit: *Et super populum tuum benedictio tua*. Est enim benedictio in Scripturis, quando Deo tribuitur nihil aliud, quàm omnis generis beneficentia, & omnium bonorum copia, ac singularis rerum successus ac prosperitas. Non caret autem ardentis animi affectu, quod personam ad eò abruptè mutat, & apostropha ad Deum vitur, dicens: *Et super populum tuum benedictio tua*.

EXPLANATIO.

*Domini est salus.*] Duo sunt hinc notanda. Primùm, quòd non dicit, *Dominus seruat*, quod tamen verum est: sed, *Domini est salus*: id est, virtus seruandi. Aliud enim est, si dicas, Imperator seruat: & aliud, si dixeris, Imperatoris est salus. Sicut aliud est, si quem videre: aliud, si videndi virtutem illius esse dixeris. Qui seruat, & videt, seruare ac videre potest, etiam si non solus seruet ac videat: at is, cuius salus & videndi virtus est, non solum seruat & videt, sed solus seruat & videt, ita vt reliquis omnibus seruandi ac videndi virtus adimatur, nisi aliquid huius ab illo acceperint. Ita cum hinc dicit: *Domini est salus* amplius quiddam dicit, quàm si, Dominum seruare diceret: nempe, virtutem seruandi in solius Domini potestate.

OBSER. 1.

Deinde, si consideremus, vnde sententiam hanc colligat, nempe ex commemoratione præteritorum beneficiorum Dei: videmus vnde sit hæc fides, qua Domini salutem esse credimus, alenda in cordibus nostris. Sententiam hanc non colligit ex mortua aliqua litera, sed ex viua experientia, vtpote toties è manu hostium ope diuina ereptus, vnde haudquaquam suis ipsius fuisse viribus liberatus. Ad hunc modum & nos veritatem huius sententiæ, Domini videlicet esse salutem, non modò è libris petamus: sed & viuis exemplis, quæ vel in nobis vel in alijs experimur, colligamus, ac certissimã esse agnoscamus. Dici autem nequit, quantum sinceræ erga Deum fidei, spei, inuocationi, patientiæ in tribulationibus, ac veræ pietati per omnem vitam alendæ commodet, si sententiam hanc, *Domini esse salutem*, inconcussam in cordibus nostris retinuerimus.

OBSER. 2.

*Et super populum tuum benedictio tua.*] Cum de beneficijs sibi præstitis loquatur, quid est quod non dicit, *Et super me*: sed, *Et super populum tuum benedictio tua*? Quare in conclusione Psalini, populi

meminit: *Rex erat populi Dei*: atq; ideò, quæ sibi toties diuino auxilio beneficia contigerant, populo facta interpretatur. Sicut enim populi gratia in varia pericula inciderat, ita & propter eundem liberationis se beneficijs potitum dicit. Hoc scilicet præfenti particula agnoscit: simulq; declarat, quo animo præfenti afflictione liberari petat, ac firmiter speret, nempe vt populi rebus consultum sit.

Sunt ergo hoc loco duo consideranda. Primùm, quid populo Dei à Deo suo sperandum sit. *Benedictio tua*, inquit, *super populum tuum*. Ergo benedictio Dei destinata est populo Dei, vt verè beatus sit ille populus, cuius Dominus Deus eius. Sequitur vsuuenit illis, qui tyrannis in hoc seculo subijciuntur, quorum imperia non benedictione, sed maledictione, & omnis generis calamitatibus sunt referta. Verùm iuxtà curandum est populo Dei, vt in obedientia verbi Dei, solida ac sincera fide perduret, nullaq; idololatria hanc beneuolentiam Dei alienam à se reddat. Alioqui scriptum est: *Maledictus eris in domo, in agro, &c.* Deut. 28. Et alibi: *Noluit benedictionem, & ecce elongabitur ab eo*: induet maledictionem sicut vestimentum, & sicut zonam, &c.

Deinde notandum est hîc, quo animo sit pijsissimus rex erga populum suum. quod hac particula primùm in eo declarat, quòd non dicit, *Et super populum meum*: sed, *Et super populum tuum benedictio tua*, Agnoscit, populum sibi concreditum, non suum, sed Dei esse populum. Deinde & in eo, quòd non dicit, *Et super populum eius*: sed, mutata persona ad Deum conuersus, *Et super populum tuum benedictio tua*. Quibus verbis innuit, hunc populum ob id sibi charum esse, quòd sit Dei populus. Ardorem enim affectus hæc apostrophe prodit. Tertio, in eo quoq; quòd beneficia liberationis diuinitus in se collata benedictionem Dei, populo Dei præstitam, interpretatur. Sit ergo hoc loco exemplar boni ac pij principis omnibus magistratibus, qui populo Christianorum præfunt, ob oculos expositum.

## PSALMVS IIII.

AD PRÆCINENDVM IN MVSICIS INSTRV-  
mentis, Psalmus Dauid.

**E**st *Br. est בנגינת למוצא למוצא*. Illud *למוצא*, quod plurimis Psalmis præfixum est, variè redditur. Græci perpetuò usque *id est*, In fine, reddunt: propterea quòd *מוצא* aliquando seculum vel æternũ, in scripturis significat, unde Patres mysticæ expositionis occasione plerunq; sumunt. Hieronymus reddidit, Victori: eò quòd dictio hæc *מוצא* per *zere*, nonnunquam pro triumphatore in Scripturis ponitur. Arabs Psalmorum inscriptiones profus negliget. Quoniam autem *מוצא* in Scripturis septenauerò præpositi ac præfelli vocantur, vt 2. Par. 2. vers. 10. & 34. vers. 13, placuit magis hic sensus, vt *מוצא* sit præcentor, qui canticis moderandis præfectus fuerit: præsertim cum hæc dictio 1. Par. 15. vers. 21. ubi de præpositis canticorum agitur, manifestè sit hoc sensu posita, vt *יעודיה בכנרת על למוצא*: id est, Et Azaziah in citharis super octauã præfectus. Quapropter voculã hanc *למוצא*, Ad præcinendum, reddere placuit: quam & Præcentori vertere poteris.

Quod addit *בנגינת*, reddidi, instrumentis musicis. *נגן* enim musicis instrumentis canere significat. Sic 1. Sam. 16. vers. 17. legimus *ישבקי איש יודע מנגן בכנרת*: id est, Quærant virum scientem canere in cithara. Hinc *בנגינת* instrumenta musica dicuntur: Græci reddiderunt *ἄρμονια*: Hieronym. In canticis: quæ versio non abluvit ab Ebrææ dictionis significatione. Neque enim quæ ore tantum, sed & quæ musicis instrumentis canuntur, cantica res *ἄρμονια* vocantur.

## ARGVMENTVM PSALMI.

Ad eandem historiam cum præcedente respicit hic Psalmus: in quo pijsissimus rex, à filio ac vniuerso populo per seditionem profligatus, ad Deum, vt se exaudiat, vociferatur: deinde ipsos seditionis authores ad respiciendã hortatur. Postremò iterũ ad Deum conuersus, pro beneuolentiã illius orat: cõmemoratq; quomodo de felicitate populi huius gauisus sit: atq; ita de securitate, quã spe firma cõceperit, gloriãdo Psalmũ cõcludit. Vfus Psalmi.

Non est hic absimilis ei quem præcedenti Psalmo indicauimus, maxime cum & argumentum argumẽto conueniat. Admonemur, vt in tribulationibus, etiã meritiò illatis, quod Deum cõcernit, ad diuinũ auxilium confugiamus: deq; illo vsque ad eò non dubitemus, vt admiremur etiam temeritatẽ inimicorũ, qua non nisi ad suam ipsorum perniciem seruos Dei impugnant: atq; ita spe in Deum obfirmata securi perstemus.

## Dispositio Psalmi.

Sunt autem Psalmi huius tres partes. Prima pro exauditione & misericordia ad Deum orat: versu primo. Secunda, apostrophen habet ad inimicos, ac seditiosos: versu secundo, tertio, quarto, quinto. Tertia ad Deum redit, proq; beneuolentiã illius impetranda orat, ac de populi felicitate gauisum se fuisse commemorat, & postremò securè se dormiturum gloriatur: versu 6. 7. & vltimo.

## PRIMA PARS.

VERS. I.

LECTIO.



**V**ociferor, respõde mihi Deus iustitiã meã: in angustia cum essem, eduxisti me in latitudinem: miserere mei, & exaudi orationem meam.

Cum clamo. ]Ebr. *בְּקוֹלִי*: id est, In clamando me. Vulgatus interpres reddidit: Cum inuocarem. Hieronym. Inuocante me. Felix: Cum clamabo.

Responde mihi. ]Ebr. *עֲנֵנִי*. Græcus habet *ἀκούσας μου*: id est, Exaudisti me. Vulgata Latina, in tertia persona legit, Exaudiuit me. Chal. *קָבַל לִמְנֵי*: id est, Recepit à me. Hieron. Respondisti mihi. Arabs; Defendet me.

In angustia

**A** *In angustia cum essem, eduxisti me in latitudinem.* ] Ebr. *בצר הרחבת לי*: id est, *In angustia dilatasti mihi.*  
 Arabs reddidit: *in tribulatione latificasti me.*

*Miserere mei*] Ebr. *רחמי*, quod etiam *Faue mihi*, reddi potest.

Prima hac parte orat Propheta, vt vociferando ad Deum exaudiatur, & misericordiam inueniat. *Clamandi* verbo, eam precationem intelligit, quam æstus animi in ipsa angustia constituti ei aculatur. Illud, *Deus iustitiæ meæ*, alijs idem esse sentit, quod Deus iustificans me: id est à quo iustitiam consequutus sum. Alius sic exponit, *Deus iustitiæ meæ*: id est, defensor ac vindex iustitiæ & innocentiae meæ: qui sensus Psalmo videtur accommodatio. Loquitur enim de iustitia & innocentia sua erga inimicos, quam Deo tanquam iusto iudici iudicandam ac vindicandam commendat. Significat igitur, Deum se tanquam protectorem & defensorem innocentiae suæ precari, vt clamantem ad se exaudiat, & in angustia constituto succurrat.

EXPLA-  
NATIO.

*In angustia cum essem.* ] Fidem impetrandi auxilij commemoratio acceptorum olim beneficiorum confirmat. Quasi dicat: Hoc maiore fiducia open tuam imploro, quod hætenus toties expertus sum, te esse vnicum iustitiæ meæ defensorem, qui me ex omnibus vndique angustijs liberasti, & in latitudinem eduxisti. ob quam causam etiamnum sumpta fiducia, hanc ad te precem fundo: futurumq; spero, vt ex angustia ad te clamanti sis responsurus. Vtitur autem angustiae ac latitudinis metaphora, qua velut ab oculos exponitur, quomodo animus afflictus tristib. ac rursus ex afflictione ereptus, lætis rebus adficiatur: quod videlicet illic se velut carceri inclusum, hæc verò in latissimo quodam ac liberrimo campo constitutum esse putet.

*Cum clamo.* ] Notandum est hic, quod non dicit, *Clamo ad te, responde mihi*: sed, *Cum clamo, responde mihi*. Non clamat hoc Psalmo: sed orat, vt si quandoque clamauerit, exaudiatur. vnde Felix reddidit: *Cum clamabo.* & Pagninus: *Dum clamauro.* Sollicitus est de futura aliquando, quâ metuebat, angustia, è qua sit ad Dominum pro auxilio vociferaturus. Ergo duplex orationis genus est. Vnū extra tribulationis æstum, quo animus metu futuræ angustiae sollicitus orat, ne in periculis & angustia constitutus deseratur. Huiusmodi orationem habet præsens hic Psalmus. Alterum, quo in articulo angustiae eiulando vociferamur, fletuque & eiulatu potius quam verbis cum Deo agimus: vt hoc orationis genus rectè clamor dicatur. Talis erat clamor Moyse ad mare rubrum in angustijs constituti, & Christi in horto ac cruce. Deinde obseruandum est, hoc genus clamoris, licet impatientiæ veriùs quam patientiæ speciem habeat, alienum tamen non esse à filijs Dei, etiam præcipuis & eximijs, qualis erat hic Propheta, & reliqui huiusmodi sancti viri: quibus tamen nemo pius impatientiæ notam impingere sustinebit, nisi hæc etiam ipsi sanctorum capiti Christo impingere velit: qui & ipse in mortis angustia constitutus, cum lachrymis & valido clamore primùm calicem passionis deprecatus, deinde à Deo se desertum querulatus est, ac tandem spiritum suum Patri commendauit. Notandum hoc est propter imbecilles conscientias: ne, si crucem à Deo impostam Stoicorum more ferendam esse putent, in desperationis barathrum præcipientur.

OBSER. I.

Duplex orationis genus.

Ebr. 5.

*Responde mihi* ] Obserua hic, quod non dicit, *Exaudi me*: sed, *Responde mihi*. Neq; enim exaudiri tantum, sed & quod exaudiatur, certificari petit. Certificationem hanc, quæ fit indubitato Spiritus S. instinctu & ante auxiliantis Dei succursum præcurrit, responsionem Dei S. Scripturæ vocant, metaphora de paterno affectu sumpta, quo filio pater in periculis constituto, & ad se clamanti confestim respondet, ac vicissim acclamat, & hoc veluti signo accursum suum significat: quæ sanè responsio & acclamatio ad hoc fit, vt & paternus affectus erga filium exprimatur, & animus filij in angustia constitutus, de paterno auxilio certificatus releuetur, ne prorsus concidat. Et hanc responsionem Dei pollicetur est Propheta dicens. *תִּבְרַח ה' וְיִשְׁמַע ה' וְיִשְׁמַע ה'* id est: Tunc clamabis, & Dominus respondebit: vociferaberis, & dicet: Ecce ego. Exprimit ergo Propheta hac petitione, qua sit erga Deum suam fiducia: nempe qua filius est erga patrem. Alioquin nunquam ausus fuisset hoc à Deo petere, quod paterni planè est affectus. Simul admonemur, quid nobis de Deo nostro in tribulationibus constitutis, & ad ipsum clamantibus polliceri debeamus.

OBSER. II.

Esa. 58.

*Deus iustitiæ meæ.* ] In eo quod Deum vocat *iustitiæ suæ Deum*: id est, defensorem ac protectorem, duo notanda veniunt. Vnū, quod idem sit, esse Deum, atq; esse protectorem, defensorem, vindicem, liberatorem ac seruatorem: qua de re vide infra Psal. 2. sicut & supra Psal. præcedent. vers. 7. annotauimus.

OBSER. III.

Alterum: Deum nostrum esse iustitiæ nostræ, non iniustitiæ Deum: id est, defensorem ac protectorem: idque duplici nomine. Primùm propter gratiam, qua nos in filios suos elegit, æternæq; salutis destinavit: deinde propter amorem, quo omnem iustitiam complectitur. Sicut enim iniquitatem & iniustitiam detestatur, iuxta illud: Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, odisti omnes qui operantur iniustitiam: ita certè æquitatem & iustitiam diligit. & sicut perdit omnes qui operantur iniustitiam, ita omnino tuetur ac defendit, quotquot iustitiæ student. Nemo ergo fieri posse credat, vt quisquam iustitiæ studens à Deo deseratur. Etenim nullius vnquam iustitia in vanum ire poterit, cum habeat vniuersus Orbis æquissimum ac potentissimum iudicem Deum, defensorem ac vindicem omnis iustitiæ & innocentiae. Huius multa quidem exempla visa sunt, ac visuntur in hac præsentia vita: verùm in futuro illo & vniuersali iudicio omnis omnium iustitia planè ac perfectè manifestabitur & asseretur, de quæ reprobis pœna sumetur. Hac spe freti, committamus innocentiam & iustitiam nostram Deo, qui hanc vindicet: cum & ipse hoc à nobis exposcat, dicens: *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

Deut. 32.

Interea tamen magistratui incumbit, vt pro potestate diuinitus accepta subditorum iustitiam & innocentiam tueatur, ac de nocentibus pœnasumat: qua de re vide ad Romanos 13. Sicut enim pastoris munus est, hoc studiosius iuporum malitiam & incurfus reprimere, quod gregem imbellem,

imbellem, & cuius iniuriæ expositum, magis quàm mordacem ac pugnacem, curæ suæ commissum habet: ita & Christianus magistratus hoc debet ampliore cura ac diligētia malos opprimere, & innoxios tueri, quòd Christianis præpositus est, qui instar ouium iniuriam magis tolerant, quàm inferunt, & patientia sua reprobos in se malitiam veluti prouocant.

**OBSER. 4.** *In angustia cum essem, eduxisti me in latitudinem.* ] Notandum hîc est, etiam sanctos illos ac præcipuos viros, in rebus aduersis ac periculosis, idq; talibus, quibus non animæ, sed corporis duntaxat salus in periculum vocatur, animis reddi anxij ac deiectis: tam quæ abesse, vt anxietatis huius gratia malam se apud Dominum inire gratiam timeant, vt hanc etiam post acceptam liberationem in orationibus suis coram illo commemorent: sicut hîc à Propheta fieri videmus. Imò quantumuis parum generosi videtur esse animi, anxium reddi, si quid inciderit aduersi: haudquaquam tamen hanc animi sui deiectionem palàm hoc carmine fateri grauat. Ita namq; comparatus est pius animus, vt malit animi deiecti & infirmi notam subire, quàm vel tantillum de seruatoris sui gloria, quam pluris facit quàm propriam, deterere. Proinde absque vlla dissimulatione dicit: *In angustia cum essem: vt locus sit ei quod sequitur: Eduxisti me in latitudinem.* ita Apostolus de infirmitate sua gloriatur etiam, id quæ percupidè, vt virtutem Christi extollat.

**OBSER. 5.** *Miserere mei, & exaudi orationem meam.* ] Obseruandum est hoc loco, quomodo pij ac sancti viri, licet iustam se causam habere, deinde Deum omnis iustitiæ vindicem esse sciant: non tamen tantum sibi de propria iustitia, quantum de gratia & misericordia Dei præsumât. Sic pijsimus rex, postquâ dixit: *Cum clamor, responde mihi Deus iustitiæ meæ:* ne de iustitia sua præsumere videatur, vbi de impetranda exauditione agit, orationis meminit, & misericordiam Dei implorat, dicens: *Miserere mei, & exaudi orationem meam.* Etenim nemo ita in aliqua, quantumuis bona causa, prorsus & per omnia iustus est, vt solius iustitiæ suæ fiducia fretus in conspectu Dei, tanquam iusti iudicis, ita securus consistere, & causæ suæ executionem exigere possit: vt non magis gratia & misericordia Dei niti, iliusq; persuasionem fretus, causæ suæ assertionem petere debeat, quàm propria innocentia.

SECUNDA PARS PSALMI.

2. *Filij viri, vsquequò gloria mea ad ignominiam? diligitis vanitatem, queritis mendacium. Selah.*

3. *Et scitote, quòd selegerit Dominus sanctum sibi: Dominus exaudiet, cum clamauero ad eum.*

4. *Trascimini, & ne peccetis: loquimini in cordibus vestris super stratu vestro, & silete. Selah.*

5. *Sacrificate sacrificia iustitiæ, & sperate in Domino.*

**LECTIO.** *Filij viri.* ] Ebr. בני אדם Græci reddiderunt, ἱδὲ ἀνθρώπων: id est, *Filij hominum.* Chal. בני אדם: id est, *Filij hominis.* At Hieronymus reddidit: *Filij viri.* Notum est, in Scripturis dictionem אדם de illis accipi, qui alicuius sunt authoritatis: אדם verò vel אדם de humilibus & abiectis, quales vulgus habere solet. Vt autē בני אדם id est, *Filius hominis,* pro homine: ita בני אדם id est, *Filius viri,* pro viro ponitur. vnde intelligendum est hîc Propheta viros ac præcipuos in populo alloqui. *Vsquequò gloria mea ad ignominiam?* ] Ebr. עד מה בבריי לכלמה, quæ verba Græcus sic reddidit: ἄσ ὡς ἕως ἄρα ποῦ ἀδυνατήσῃ; id est, *Vsquequò graui corde? ut quid?* Versionis huius ratio est, quòd Ebraica olim sine punctis legebantur, id quod varietati lectionis causam dedit. Sic בבריי pro בבריי id est, *grauis, lectum:* & dictio לכלמה in duas separatas dictiones diuisa est, ita vt ב litera pro ב accepta causam dederit legendi לב: id est, *corde:* eamq; dictionem præcedenti בבריי iungendi, vt legatur לב בבריי id est, *grauis corde:* atq; ita quòd sequitur למה, sequētibus applicandi, vt pote למה האהבתי ריק id est, *Vt quid diligitis vanitatem?* Itaq; conspicuū est, Græcū interpretem legisse ad hunc modum: עד מה בבריי לב למה האהבתי ריק: id est, *Vsquequò graui corde? ut quid diligitis vanitatem?* Arabs quoque Græcum sequutus sic vertit: *Vsquequò aggravatum est cor vestrum: quare diligitis quod inane est?* Hieronymus sic: *Vsquequò inelyi mei, ignominiosè diligitis vanitatem?* Verum Chaldæus cum Ebræo consentiens, sic reddidit: לאיה בנעיר תאמריל: id est, *Quòd selegerit Dominus.* ] Ebr. בני הבלה ירהר Græcus pro הבלה, quod est, *Segregauit, selegit.* הבלה: id est, *Mirificauit:* ideoq; reddidit, ὅτι ἰθαυῖσος ὡς λέγει: id est, *Quòd mirificauerit Dominus.* Chaldæus cum Ebræo facit.

*Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum.* ] Chaldæus tertiam personam posuit ad hunc modum: ליה ירהר יקבל צלותיה במקראיה ליה: id est, *Dominus accipiet orationem eius, cum clamauerit ad eum.*

*Trascimini, & ne peccetis.* ] Sic Græcus quoq; reddidit, quam versionem Apostolus Eph. 4. citauit. Ebræa autem dictio רגוד tam potest reddi *Contremiscite,* sicut & Chaldæus vertit, dicens זרעו מביה: id est, *Contremiscite ab illo:* quàm, *Trascimini.* Malui autem, propter autoritatem Apostoli, verbum *irascendi* retinere. Tametsi haud malè quadret, si legas, *Contremiscite, ne peccetis.*

*Sacrificate sacrificia iustitiæ.* ] Græcus in singulari reddidit θυσίαν δικαιοσύνης: id est, *Sacrificium iustitiæ.*

**EXPLANATIO.** Hac secunda Psalmi parte Propheta seditionis autores, ac potiores in populo alloquitur, & ad resipiscentiam vocat. Primùm autem eos increpat: vers. 2. Deinde instruit: vers. 3. Tertiò à peccato quod moliebantur reuocat: vers. 4. Quartò, vt vera iustitiæ sacrificia offerant, admonet: vers. 5.

*Filij viri, vsquequò gloria mea ad ignominiam?* ] Geminâ reprehensionē habet hic versus. Primùm eos ob id reprehendit, quòd tantis tamq; pertinacibus conatibus ad id contendebant, vt se à regni administratione, quam gloriam suam vocat, à Deo videlicet acceptam, in summam deturbarēt ignominiam. Nisi velis hoc quoq; loco, sicut præcedenti Psalmo, Deum ipsum gloriam Dauidis intelligere.

genere. Nam & huic ignominiosum erat, quod eum reijciebat, quem ipse in regni gloriam euexerat. Deinde illis exprobrat, quod res vanas & impossibiles cupide ac studiosè tentabant. Has vocat *vanitatem & mendacium*, propterea quod affectatores suos fallere, ac spe concepta frustrari soleant. Studium illarum verbis diligendi & quærendi notat.

*Et scitote, quod selegerit Dominus sanctum sibi.* ] Hoc versu aduersarios de eo instruit, quod non tam aduersum se, quam aduersus Dominum rebellando insurgant. Ideo dicit: *Et scitote quod selegerit Dominus sanctum sibi.* Quod perinde est ac si dicat, se Domino curæ esse, & hunc habere protectorem ac vindicem. vnde & subdit: *Dominus exaudiet, cum clamauero ad eum.* Quasi dicat: Erratis plurimè, quod in diuino destitutum esse putatis auxilio. Affirmo vobis, non defore mihi diuinam opem. Etenim ipse me sibi delegit, vt rex ipsius sim: & in gratiam ac curam suam assumpsit, vt certus sim, me, si opus sit, non ad iursum & auersum, sed ad benevolentissimum ac promptissimum protectorem clamaturum.

Vocat autem se *דוד* quod pierunque *sanctus* redditur: non quod de sanctitate aliqua vel mentis vel vitæ suæ gloriatur, sed quod diuinæ sit beneficentiæ consecratus. *דוד* enim *beneficentiæ ac bonitatis* dicitur: vnde in Scripturis aliquoties *דוד ייחודי* ij dicuntur, qui diuina beneficentiâ speciali- ter potiuntur.

*Trascimini & ne peccetis.* ] Habet hic versus admonitionem aduersariorum de resipiscentiâ, vt timore Dei coerciti, peccato quod moliebantur abstineant, & causam ipsam diligentius expendant, pacatiq; conuiescant. Huc pertinet quod admonet, ne iræ hætenus contra se indulgeant, vt peccent: sed potiùs conatus suos taciti secum ipsi in cordibus suis examinent: cogitentq;, an fieri possit, vt iniustæ causæ non aduersetur Dominus, & sanctum suum quem sibi delegit, ipsorum libidini permittat: deniq;, quàm perniciosum ipsis futurum sit, si Domino rebellare pergant.

*Sacrificate sacrificia iustitiæ.* ] Admonet eos hoc versu, ne iniqua moliendo putent se sacrificijs peccatum Deum placare: sed potiùs iustitiæ studeant, id quod ipsis coram Deo sacrificij loco futurum sit, atque ita tum demum spem suam in illum collocent. Videtur autem sacrificium illud Absolomî notare, sub cuius prætexu coniurationem in Hebron instituerat: quo de 2. Samuel 15. sic legitur: Cuiq; immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populusq; concurrens augebatur cū Absolom. Nam omnino verisimile est, Dauidem iniqua hæc illorum notare sacrificia, dum hor- tatur vt sacrificia iustitiæ sacrificent.

*Filij viri.* ] Quod viros, id est, potiores & capita populi alloquitur, indicio est, horum culpa rebellionem fuisse excitatam. Ita plerunq; accidit, vt, quorum est pro sapientia & autoritate sua populum in ordine retinere, hi ipsi authores illi fiant, vel certè negligentiâ suâ conuiescant, ad perpetranda illicita. Tales erant illi, de quibus Num. 25. ad hunc modum legitur: Morabatur autem eo tē- pore Israël in Sethim, & scortatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos eorum: initiatusq; est Israël Beelphegor. Et iratus Dominus ait ad Mosē: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israël. Et hodie, quæso, quorum culpa seculum hoc passim ita corrumpitur, vt nullum sit vitiorum genus quod non obtineat: nisi eorū qui capita sunt & ductores ppulorum, qui partim conuientia, partim pessimis moribus, authores sunt vitiorum plebi, alioquin ad pessima quæque procliu & sequaci. Hos itaque potissimum oportebat hodie admoneri verbi ministris, vt primū ipsi in viam redeant, dein & populum qui sibi subiectum auctoritate sua in ordinem cogant. At plerique vsque adeò insolescunt, vt ne verbulo quidem admoneri sustineant, nec ferant talem ecclesiasten, qui delinquentes magistratus corripiat: & ecclesiastas quoque inuenias, qui hac in re altissimum dormiant, vel suis ipsorum vitijs corrupti, vel magistratibus delinquentibus aut metu aut ventris gratia ablandientes. Quid itaque in hac presentis seculi corruptione expectandum aliud, quàm vt singulari quodam flagello, siue Turcico, siue alio quopiam, in ordinem cogamur?

*Vsque quod gloria mea ad ignominiam.* ] Videmus hæc, eam gloriam quæ à Deo est, malorum in hoc seculo expositam & obnoxiam esse conatibus & insidijs ad ignominiam. Ea videlicet est humani ingenij corruptio, vt, quos Deus in gloriam euexit, & rebus humanis præfecit, ægerimè feramus, & iugum illorum si qua ratione fieri queat, detretemus. Hinc est quod illorum omnia, etiam minutissima, in ius vocantur & sinistris interpretationibus discerpuntur. Quid igitur iustius fieri poterit, quàm vt impijs tyrannis, qui fastigium imperij pro ditione, vi & muneribus occupat subijciamur?

Quod verò non simpliciter dicit, *Quare gloria mea ad ignominiam:* sed, *Usque quod gloria mea ad ignominiam:* pertinaciam impiorum conatum notat: qua fit, vt tenacissimè hæreant, nec facile ponantur, nisi diuinitus coërceantur. Pij ac boni conatus facillimè ac leuibus, imò plerunq; nullis de causis remittuntur, aut etiam abijciuntur: at qui contra voluntatem Dei pugnant, pertinacissimè ad effectum contendunt. Ratio huius est, quod pro ingenij nostri corruptione bonis & honestis rebus non ita afficimur, sicut malis ac turpibus. Ideo fit, vt ad ea quæ bona sunt, Deoque placent, vix tandem impellamur, tentata vtcunq; leuiter deseramus, mala verò & illicita vltro apprehendamus, aggrediamur, ac pertinacissimè prosequamur, vt verisimum sit illud Genes. vndecimo: Coeperunt facere, nec desissent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.

Ad hæc videmus hoc loco, pertinaciam istam improborum conatum molestam esse etiam exi- mijs viris, ac singulari pietate præditis: sicut hæc in Dauide apparet. Nemo ergo alienum esse putet à moribus piorum, si quem viderit hodie pertinaci illa & obstinatissima impiorum hominum ma- litia, improbitate, violentia, fraudulentia, crudelitate offendi. Vox hæc *Usque quod*, non eorum est, qui

Verf. 3.

Verf. 4.

Verf. 5.

OBSER. 2.

OBSER. 2.

qui confestim per impatientiam improborum conatibus occurrunt: sed eorum, qui diu seruata patientia, aduersa tulerunt, ac propediem futurum sperarunt, vt ad sanio rem mentem reuertantur. Horum patientia, obstinata tandem & pertinaci improbitate tentata, in hanc vocem erumpit, vt dicat: *Vsquequò gloria mea ad ignominiam?*

*Diligitis vanitatem, queritis mendacium.*] 1. Notandum hîc, impiorum conatus, quibus sanctorum Dei gloriam & salutem ad ignominiam & perditionem conuertere moluntur, vsqueadeò vanos esse & irritos, vt hîc à Propheta *vanitas* vocentur, & *mendacium*. Admirandi certè sunt oculi sanctorum, quibus tanta perspicuitate ad exitum earum rerum quas impij, improbè moluntur, pertingant, vt qualescunq; in oculis mortalium appareant, vbi nihil minùs quàm vanæ & mendaces esse videntur, certò videant eas esse non vanas modò, sed ipsissimam vanitatem. Si hisce præditi essent oculis, quibus Dauid aduersariorum suorum, ac totius populi rebellionem, vanitatem esse vidit, ac mendacium, vt & nos de fine impiorum conatum iudicemus: quot quæso & quantis curis liberaremur, quibus quotidie frustra conficimur, dum rationis nostræ, non fidei iudicio, de consilijs & conatibus impiorum iudicamus, ac nobis ipsi causas metus & curarum cõminiscimur, & diuinæ potentiæ ac veritatis obliuiscimur. Quis enim vanitatem ac mendacium scienter ac prudenter metuet? Puerorum, iudicio rerum carentium, est, inanibus moueri spectris. Qui iudicio valent, & animo generoso præditi sunt, ne rebus quidem ipsis facilè terrentur, nedum fallacibus ac mendacibus rerum spectris. Atqui quid aliud sunt omnes omnium mortalium conatus, quibus contra diuinæ voluntatis propositum vel carni iucunda, vel pijs in speciem terribilia præsumuntur, quàm vanitas ac mendacium?

2. Deinde etiã hoc notandum est, quòd non solùm vanitatem ac mendacium, aduersariorum suorum conatus vocat: sed & hoc simul illis tribuit, quòd vanitatem diligant, & mendacium quærant: quibus verbis impiorum ingenia notat, quo impensè vanis ac mendacibus consilijs delectentur, quæ ipsi nihil minùs esse putent quàm vana ac mendacia. Nemo enim, opinor, ita insanit, vt scienter quæ vana sunt ac mendacia sectetur, fallique cupiat. Verùm ea est simul carnis nostræ cæcitas & corruptio, vt falsa pro veris, vana pro solidis studiosè affectet. De ijs rebus loquor, quas veluti præcipuas persequitur. In alijs, quæ carnis voluptatibus inferuiunt, plerumque fit vt, sicut ille ait, meliora scientes, deteriora sequamur.

3. Ad hæc notandum & illud est, quòd dilectionis affectui, quærendi studium coniunxit: *Diligitis, inquit, vanitatem*: ac mox subiungit: *Queritis mendacium*. Posterius prioris est indicium. De dilectione, quæ cordis est, nemo iudicare potest, donec studio quærendi, ac quæ diliguntur persequendi, se ipsa in apertum proferat ac prodat, vt ex fructu cognoscatur arbor. Est autem aliud, quæ vana sunt quærerere: & aliud, obiter in illa incidere. Quærun t ea qui diligunt: diligunt qui vani sunt, & cordis innouatione destituti. Vanis subinde inuoluuntur & sancti: sed vana non quærun t, quia non diligunt: inuoluuntur non studio, sed carnis infirmitate, & occasione eorum quibus cum viuunt, occupati: animi sententia non consentiente, sed repugnante.

4. Præterea, quale genus hominum est, cui tribuit, quòd vanitatem diligit, & mendacium quærat? Si diceret, vt vetus versio habet: *Filij hominum vsquequò gloria mea ad ignominiam, diligitis vanitatem*, &c. vitium hoc vulgo indocto & humili adseriberetur. Iam cum dicit: *Filij viri*: conspicuum est, quòd viros & præcipuos in populo, primates, ductores & potiores, amatores vanitatis & mendacij studiosos esse dicat. Vtinam seculum hoc nostrum vaniores habeat in plebe, quàm inter eos qui rerum potiuntur, & scientia, opibus, vsuq; rerum primas tenent.

OBSER. 4.

*Et scitote quòd selegerit Dominus sanctum sibi.*] 1. Vide hîc, quæ sit eorum erga Deum fiducia, quorum conscientia de gratia electionis & vocationis persuasa est. Sciunt se esse in protectione Dei: ideoq; certi sunt, quòd sit ipsos ad se clamantes exauditurus. Secus habet eorum & conditio & conscientia, qui non à Deo selecti sunt, sed se ipsi intruserunt, & vel vi vel fraude fastigia rerum siue diuinarum siue humanarum occuparunt. Seruit ergo hic locus illis, qui ad magistratus functionem, aut verbi ministerium, ritè sunt vocati: dein generaliter etiam fidelibus omnibus, quorum conscientia per spiritum filiorum Dei de gratia electionis & sanctificationis certa est. Hanc autem certitudinem ignorant reprobi & hypocritæ in ecclesia: ideoq; illam & in alijs omnibus reprobant, quasi quod in ipsorum non sentitur conscientia, nec vlla vel naturali vel acquisita scientia obtinetur, nemo alius habere per gratiam Christi possit. Vnde & tradiderunt dogmate omnium impijssimo, neminem certum esse, an sit in gratia vel odio: contra quod infra Psal. 18. vers. 19. quædam notabuntur. Quod ad præsentem locum attinet, quis non videt animum Prophetæ de gratia Dei persuasissimum esse, cum dicit: *Et scitote, quòd selegerit Dominus sanctum sibi*. & ne de alio quopiam dicere putetur, non de seipso, subdit: *Dominus exaudiet cum clamauero ad eum*. Conatur hoc alijs persuadere, utiq; ipse certissimè persuasus. Nam alioqui si de hoc ipse dubitaret, quàm quæso imprudenter alijs huius rei certitudinem inculcasset?

2. Deinde, quòd se *sanctum* vocat, documento nobis esse debet, quàm non debeamus gratiam diuinæ electionis & sanctificationis dissimulare. Non est fastus superbi, si te sanctum Dei voces, sed significatio animi grati, ac beneficium Dei fideliter agnoscentis & deprædicantis. Quis huius vocis vsus sit, infra Psal. 16. vers. 3. notabimus.

3. Tertio & hoc notandum est, quòd non simpliciter dicit, quòd *selegerit Dominus sanctum*: sed addit, *Sibi*. Admonemur hîc, siue legas, *Selegerit sibi*: vel, *Sanctum sibi*: per hanc nos gratiam electionis & sanctificationis, nec nobis ipsis, nec Mûdo, sed ei consecrari, qui nos assumpsit, vt ipsi seruiamus ac viuamus soli. Notâda itaq; hæc particula est primùm in genere fidelibus omnibus, vt sciant se non

**A** se non sibi, sed Domino sanctos esse, & vocationi huic cœlesti vitæ sanctimonia & studio pietatis respondere, cuius nos Apostoli plerisque locis admonent. Deinde & magistratibus, & verbi ministris, ut sciant se non in suam ipsorum, sed Domini feligentis & vocantis voluntatem esse consecratos. Domine Iesu, da tales, Ecclesiæ tuæ misertus, magistratus & doctores, qui sciant se non sibi, sed tibi selectos esse sanctificatos. Hinc enim haud modica est seculi nostri corruptio, quod qui potestate tua funguntur, non tuæ voluntati, quæ sancta & salus nostra est, ac vita, sed suæ ipsorum libidini seruiunt, quæ & gloriæ tuæ detrahit, & Ecclesiam tuam, quam precioso tuo sanguine acquisiisti, profus perdit.

4. Quartò. Nec hoc prætereamus, quòd non simpliciter dicit, *Selegit Dominus sanctum sibi*: sed præmittit, *Et scitote*: non suæ hoc, sed aduersariorum suorum conscientia, quòd selectus sit à Domino, inculcans. Vnde admonemur, hinc potissimum esse impios illos & vanos impiorum conatus, quòd non sustinent agnoscere, quos impugnant esse ministros Dei, ab illo selectos, & in illius gratia constitutos. Non dicit: *Et scitote vos nihil contra eum posse, quem Dominus tuevit ac defendit*: forsitan enim ad id impietatis nondum progressi fuerant, ut de eo dubitarent. Verùm hoc scire nolebant, quòd quem impugnant, selectus esset à Deo, & sanctus Dei. Ideo expressè dicit: *Et scitote, quòd selegit Dominus sanctum sibi. Dominus exaudiet, cum clamauero ad eum.* Et qui hodie sanguinem innoxium fundunt, tales videri nolunt, qui sanguinem sanctorum Dei fundant, ignorentq; non cessurum impunè, si quis sanctos Dei persequatur, & bellum cum Deo gerat: sed hoc potius sibi persuadent ipsi, vel ab alijs propriæ gloriæ ac ventris mancipijs persuaderi sinunt, quòd nebulones & hæreticos, genus hominum pertinax, & Ecclesiæ Christi inimicum ac noxium persequantur, & è medio tollant. Et hoc Christo ipsi accidit, quem nolebant credere sanctum esse Dei, sed seductorem ac blasphemum. Vnde & Petrus dixit: *Et nunc fratres scio, quòd per ignorantiam feceritis, sicut & principes vestri.* Et Apostolus: *Si Dominum gloriæ cognouissent, utique non crucifixissent.* Quid ergo mirum, si idè vsuueniat reliquis sanctis in hoc Mundo: qui quoniam DEVM non nouit, ne filios & sanctos eius nouit: si hoc & typo CHRISTI Dauidi, & CHRISTO ipsi capiti sanctorum, tot miraculis ac portentis declarato accidit?

Actor. 3.  
1. Corint. 1.  
1. Ioan. 3.

*Dominus exaudiet, cum clamauero ad eum.* 1. Notemus hoc verbum spei. Comminatur aduersarijs futurum, ut nihil contra se efficiant, quantumuis moliantur: & velut rationem reddit, non dicens, *Et scitote me qua hæcenus vsus sum industria, & bellandi dexteritate euasurum*: sed, *Dominus exaudiet*, inquit, *cum clamauero ad eum.* Quasi dicat: Si me in id angustia adegeritis ut ad Dominum clamem, certi estote, clamorem meum in aures illius ascensurum, & auxilium impetraturum. Quid hodie contra aduersarios Turcas obtendimus? Mascularum & Germanicam virtutem, arma bellica, bellandique non induriam ac dexteritatem, sed temeritatem. Quotusquisque est qui hac spe fretus, animo sit imperturbitus, quòd sciat Dominum nos exauditurum: si quando ad eum clamauerimus? An non & hodie suos ad se clamantes exaudiet? An finem habet illius promissio, qua dicit: *Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te*? Et idem est qui olim fuit, & firma adhuc est illius promissio, verùm & fide deficiamus, & conscientia peccatorum & impoenitentia deprimimur, ne in hanc diuinæ exauditionis spem erigamur.

OBSER.  
V.

2. Simul & hoc obseruandum est, quòd non dicit, *Dominus exaudiet me*: sed simpliciter, *Dominus exaudiet, cum clamauero ad eum.* Loquitur enim pijsissimus rex tanquam caput populi Dei, cuius ad Dominum clamor, ut priuati non erat, sed publici negocij, ita & illius exauditio non ipsum priuatim, sed populum simul publicè concernebat. Sit hic locus solatio capitibus populorum, simul & exemplo, ut sciant & ipsi clamores suos ad Deum non tam ipsorum, quam populi nomine, cui præfunt, exaudiri, & iuxta etiam paternum hunc Dauidis affectum erga subditos induant.

*Trascimini & ne peccetis.*] Communis hic locus est de impetu animi irati cohibendo, ne in peccatum aliquod præcepit ruat. Nam, ut Iacobus ait, *Ira viri iustitiam Dei nõ operatur*: imò hanc etiam transgreditur & conculcat. Non potest animus iratus quod faciendū sit, quid nõ, quid fas, quid nefas, expendere, sed instar equi perciti ac ferocis, sessorum in præceps abripit. Agnouit hoc etiã gentilis Poëta dicens.

OBSER.  
VI.

*Ira furor breuis est, animum rege, qui nisi pareat,  
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce cathenis.*

Et Menander: *ὀργὴ δὲ νόμῳ ἀπέχει, inquit, ἀναγκαστὴ λαοῦ.* Quæ de ira passim apud authores leguntur, non est animus huc adferre, cum nemini non sint obuia.

*Loquimini in cordibus vestris.*] 1. Admonemur hinc primum, plurimum ad sedandam animi commotionem conducere, si causa ipsa ob quam animus efferuescere cœpit, penitus introspectatur, & in corde pensulatius examinatur. Hinc enim subinde ad iram rapimur, quòd affectibus potius quam rethorici rationi locum damus. Proinde consultissimum fuerit, ut nihil irati tentemus, donec sedatis commoti animi procellis, quid in causa veri sit, quid non, quidq; nos deceat, & charitas proximi iure suo à nobis exigat, expendamus.

OBSER.  
VII.

2. Deinde notanda simul hinc est, animi de innocentia sibi conscij fiducia, in eo quòd aduersarios hortatur, ut causas irarū secum ipsi in cordibus suis examinent: quòd nihil est aliud, quam se ipsorum sistere iudicio, modò sepositis affectibus rem ipsam in cordibus suis, ut in se comparata est, examinare velint. Hoc enim est, in cordibus loqui. Sit nobis hic locus documento, ut & ipsi innocentia & æquitati ita studeamus, ut nihil optemus magis, quam ut omnia nostra aduersarij secum ipsi expendant, & proprio cordium ipsorum iudicio, modò absit ira, & animi amaricatio, sistant.

OBSER.  
VIII.

*Super stratu vestro.*] Et hæc particula obseruanda est. Significat enim primum, nocturnum, ac quietis tempus, accommodū esse rebus considerandis, & circūspectius examinandis. Tum enim animus sedatior esse

tior esse solet: quod cum primis ad hanc rem necessarium est. Deinde & ab eorum commercio, A quorum verbis & actibus quasi quibusdam stimulis impellimur & incitatur, seiuncti sumus, ut examinationem hanc rerum, ob quas tumultuamur, candidius ac sincerius insituere liceat.

Ephes. 4.

Deinde admonemur etiam hinc, cuius etiam Apосто. meminit, ut quod per diem animos nostros non nihil perturbatos reddidit, noctu expendamus & rejiciamus. Sol, inquit Apóstolus, non occidat super iracundiam vestram, quo loco etiam versus huius principium citavit. Valet hæc admonitio apud eos, qui timore Dei præditi sunt. Cæterum de impijs scriptum est, quod iniquitatem in cubilibus suis meditentur. Vsurpemus autem consilium hoc Spiritus sancti, non solum ad hoc, ut conceptam iram noctu in stratu nostro examinemus, & rejiciamus: sed etiam ad omnes actus vitæ nostræ, quibus inter diu occupamur, discutiendos, ne quo pacto longius à scopo pietatis ac diuinæ voluntatis euagemur.

OBSER. IX.

Et silete.] Irascentium ac tumultuantium clamor est & vociferatio: contra eorum qui respiscunt, pacatiq; sunt, silentium & quies. Suadet ergo aduersarijs, ut pacati ac respiscentes quiescant: hoc est, cœpijs desistant. Admonemur ergo hoc loco, ut quietem & silentium amemus: & ut compotes huius simus, satius esse ut in cordibus nostris loquamur, idq; noctu ab omni rerum strepitu sequestrati, quam ut auram vociferationibus ac questibus adimpleamus. Silentium optimus est quietis ac tranquillitatis custos. Multis frustra perturbamur: quorum si finem quieti & cum silētio expectaremus, & nobis & alijs subinde melius consuleremus. Gentilium literæ Pythagoram constituunt auctorem silentij, & tanquam magni boni inuentorem prædicant: vnde epigramma illud est:

ἡ μεγάλη παιδεία ἐν ἀνθρώποισι, σιωπή.  
μαρτυρεῖ Πυθαγόρα τὸν σοφὸν ἀντὶ τῆς.  
ὅς παλαιοὺς ἀδαστέρας ἐδίδαξε σιωπῆν.  
φάρμακον ἰσχυρὸν ἔγκρατις ἐν ἀμύβῃ.

At quanto quæso iustius est, ut non hic Spiritus sancti magisterio acquiescentes, omni tumultuatione abiecta, animi tranquillitatem ac silentium sollicitè & constanter retineamus? Loquor autem non de Anabaptistico illo & hæretico silentio, quo nostro seculo fanatici quidam uti cœperunt, erga suæ farinae schismaticos garruli, erga reliqua Christi membra muti: sed de cordis tranquillitate & quiete, quæ est partim ex fide, partim ex respiscencia, & tacita rerum consideratione.

OBSER. X.

Sacrificate sacrificia iustitiæ.] I. Notanda est hæc admonitio etiam nostro, immò magis nostro, quam Davidis seculo. Quæ tum inter Iudæos in usu erant sacrificia, ex diuinæ legis præscripto offerebantur: & tamen hic auctoritate prophetica, quæ reprobis offerebant, tanquam iniustitiæ sacrificia rejiciuntur. Alioqui præter rationem eos Propheta ad offerendum sacrificia iustitiæ adhortatus esset. Neq; enim est, quod quisquam hostes Davidis id temporis idolis sacrificasse putet, quod genus sacrificandi in Israël tum explosum erat. Quid igitur de sacrificijs illis dicemus, quæ præterquam quod in Ecclesiam sunt absq; vilo verbi DEI præscripto introducta, etiam sinistris, ne quid durius dicam affectibus, & à sceleratis symoniacis & scortatoribus, in speciem offeruntur? Quid sacrificatoribus istis dicendum aliud, quam hic Propheta proclamatur, dicens: Sacrificate sacrificia iustitiæ: i. e. Respiscite, iustitiæ studete, innocentie ac verè pietati operam date: hoc facientes, sacrificia iustitiæ Deo placenta sacrificabitis? Est enim sacrificium Deo, spiritus contritus, & cor humiliatum. Verum de reprobo horum hominum sacrificio, infra Psal. 16. videbimus.

OBSER. XI.

2. Deinde & hoc notandum est, quod non dicit, Sacrificate sacrificium: sed in plurali, Sacrificia iustitiæ. Non. n. multitudinem illam ac frequentiam sacrificiorum, quibus reprobis pietatem magis simulant, quam exercent. Solent enim hypocritæ multitudinè sacrificiorum ostentare, atq; ita cultum Dei, quæ animo non habent, simulare, vide Esa. I. Quo mihi, inquit, multitudinem victimarum vestrarum? Et sperare in Domino.] Significatur hac particula, impios sacrificatores propter sacrificiorum frequentiam nihil non coram Deo sibi pollicitos esse. Admonentur ergo tales hoc loco, spem istam esse prorsus vanam & irritam: & solos eos rectè sperare in Deum, qui corde contrito & humiliato respiscunt, iustitiæq; & innocentie solida fide student. At si studia sacrificatorum nostri temporis rectè consideres, in quem quæso minus sperant, quam in Deum? Carnem ponunt brachium suum, & potentia principum, quos hæctenus miris technis illaquearunt, res suas utcunq; tuentur.

OBSER. XII.

Postremò & hoc notandum est, quale sit hoc pijsissimi ac fidissimi pectoris ingenium, in eo quod aduersarios & rebelles tam diligenter, tam fideliter, tantaq; cum mansuetudine de reb. ad salutem ipsorum pertinentibus instruit & admonet, & ad meliorem mentem, eoq; vocat ut cum Deo in gratiam redeant. Hoc certè ingenium non est carnis & sanguinis, sed omnino diuini spiritus.

## TERTIA PARS PSALMI.

6. Multi dicunt, Quis ostendet nobis bonum: leua super nos lumē vultus tui Domine.  
7. Dedisti letitiam in corde meo, à tempore quo frumentum eorum & vinum eorum multiplicata sunt.

8. In pace simul accubabo, & dormiam: quoniam tu Domine solus confidenter habitare me facies.

Multi dicunt, Quis ostendet nobis bonum.] Quod Ebr. singulariter habet שׁוֹבֵר, Græcus reddidit pluraliter, τὰ ἀγαθά.

LECTIO. Vers. 6.

Leua super nos.] Ebr. אֲרִיבְנֵנוּ, quod quidam reddunt: Erige vexillum super nos, eò quod שׁוֹבֵר signum & vexillum vocatur. Græcus vertit: ἰσχυρὰ ἔσθ' ἡ εἰς. id est, Signatum est super nos. Hieronymus nobiscum legit: Leua super nos.

**A** *A tempore quo frumentum eorum & vinum eorum multiplicata sunt.* ] Ebr. מִיְמֵת דַּגְמָר וְיִרְדֵּי שֶׁמֶר דְּבָרָא: id est, *Vers. 7.*  
*A tempore frumentum eorum & mustum eorum multiplicata sunt: vel, A tempore frumenti sui multiplicati sunt.* Si  
 quidem vtrunq; legi potest. Græcus reddidit: ἀπὸ καρπῶν, οἰνῶν, οἰνῶν καὶ ἀπὸ καρπῶν ἀπὸ καρπῶν. i. e. *A fructu*  
*frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt.* Quod in Ebræo est, *A tempore: reddidit, A fructu: & de oleo,* quod  
 in Ebræo non est, legit Arabs quoq; olei meminit. Chald. Ebraicam veritatem retinet. Hier. multi-  
 plicandi verbum, frumento & vino nobiscum coniunxit. Nam ita legit: *A tempore frumentum eorum & vis-*  
*num eorum multiplicata sunt.*

*In pace simul accubabo, & dormiam.* ] Illud Ebr. יָחַד, Græc. reddidit, ἑνὶ τῷ αὐτῷ: & vulg. Lat. *In idipsum.* *Vers. 8.*  
 Quidam legunt, *Vnicè.*

*Quoniam tu Domine solus.* ] Ebr. לְבַדְּךָ, quod quidam vertunt singulariter. Hieron. specialiter, Græc. ἑνὸς  
 μόνου: i. e. *separatim, vnicè, singulariter, solitariè.* potest etiam verti in accusatio, *solum.*

Illud, *Confidenter,* Ebræ. est, לְבַטָּח, quod Græcus reddidit, ἐν ἰσχυρίδι: id est, *In spe.* Sed perinde est, v-  
 trumuis legas.

*Habitare me facies.* ] Ebr. הוֹשִׁיבֵנִי, Græc. reddidit, ἐκτρέφῃσάν με: i. e. *Habitare me fecisti: quemadmodum*  
 & Hier. legit. Arabs quoq; in præterito legit: *Habitare me fecisti.* Vulg. Lat. *habet, Constituisti me:* Chald.  
 verò futurum tempus cum Ebræo retinet.

Aboluta iam aduersariorum increpatione, instructione, & admonitione, ad DEVM Propheta, **EXPLA-**  
 Psalmum conclusurus, redit: oratq; ut benevolentia suæ significationem ac declarationem, con- **NATIO.**  
 tra spem & opinionem aduersariorum, sibi ac suis exhibeat. Quod enim dicit: *Multi dicunt, Quis offen-*  
*det nobis bonum:* meo iudicio de aduersarijs ipsius sic legendum est: *Multi dicunt, Quis nobis sit quod bo-*  
*num est ostensus:* id est, exhibiturus. Quasi dicat: Aduersarij mei, quorum magna est multitudo, hoc  
 sibijs persuadeat, non futurum quenquam, qui mei, meorumq; aliquam sit habiturus rationem,  
 aut etiam si maxime quisquam velit, possibile tamen non esse, vt ex hisce malis eripiamur, & aliquo  
 beneficio afficiamur. *At tu Domine,* qui omnia potes, à quo vno salus nostra pendet, *leua super nos lumen*  
*vultus tui:* id est, declara erga nos gratiam benevolentia tuæ, succurre rebus nostris adficietis, vt vide-  
 ant aduersarij nostri, non esse res eorum desperatas, qui abs te firma fiducia pendent, etiam si pas-  
 sim affligantur ab omnibus.

Ad hunc modum arbitror illa, *Quis ostendet nobis bonum:* non esse per interrogationem, q. hostium  
 Dauidis verba, sed simpliciter per enunciationem tanquam ipsius Dauidis verba legenda: *Quis o-*  
*stensus sit nobis:* i. e. mihi ac meis, quod bonum sit. Et hic mihi sensus argumento Psalmi conformior  
 visus est: citra tamen cuiusquam aliter sentientis præiudicium.

**B** *Leua super nos lumen vultus tui Domine.* ] Metaphorica loquutione hilaritatem cœlestis gratia ac be-  
 neuolentia exprimit. Sicut enim post prolixas ac densas tenebras, iucundissimus est Solis splen-  
 dor: ita tribulationib; & afflictionibus, quasi quibusdam tenebris occupato, cœlestis auxiliij gratia  
 instar solaris radij omnium est exoptatissima ac iucundissima. Auersio vel obscuratio Domini  
 vultus, tristissimum quiddam est seruis ac subditis, placidus verò aspectus magnam illis adfert hila-  
 ritate: ita quando velut auersus videtur in reb; tristib; vultus Dei, qu. caligo quædam adficietis pio-  
 rum animis offunditur. Rursus, mox atq; auxilium diuinitus adfertur, quasi splendor quidam placi-  
 de aspicientis vultus Dei abiectos animos erigit ac recreat.

*Qui sic legunt: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine:* exponunt de lumine rationis humanæ,  
 quo discernimus quid sit bonum, quid malum, quod pertineat ad legem naturæ, & nihil aliud sit  
 quam impressio diuini luminis in nobis. Sed hæc philosophica, meo iudicio, impertinenter hic spira-  
 ritui Prophetæ accommodantur.

*Dedisti lætitiā in corde meo.* ] Tacite hoc versu rebellis huius populi ingratitude notat, quæ pa- *Vers. 7.*  
 ternè erga ipsos affecto tam malam gratiam rependebant. Ad hoc mihi commemorare videtur,  
 quanto cordis gaudio fuerit affectus, quoties illis diuino munere vberem rerum necessarium pro-  
 uentum obtingere vidisset. *Dedisti,* inquit, *lætitiā in corde meo, quo tempore frumentum & vinum eorum mul-*  
*tiplicata sunt.* Q. d. *Eo fui semper erga populū hunc tuum dilectionis affectu præditus, vt summo-*  
*pere gauisus sim,* quoties tuam in illos benevolentiam larga frumenti ac vini copia declarasti. *Si*  
*quando videbam eos vberes ex agris reportare fructus, & mustum copiosum colligere in vasa vi-*  
*narum, gaudebam ex animo cum gaudentibus: idque illis beneficij, quod ex tua proueniebat bene-*  
*uolentia, gratulabar.* At illi vicissim tantum ingratitude erga me declarant, vt ne viuere quidem,  
 nedum bene viuere sint passuri, nisi tu cœptis illorum occurras. Scio alios alium seculum sequi: ve-  
 rum hic mihi simplicior visus est.

*In pace simul accubabo, & dormiam.* ] Prædicat se hoc versu non solum securum ab omnium periculo, *Vers. 8.*  
 vt vt per rebellionem infestetur, sed & à periculi metu liberum: idq; eadem securè dormiendi me-  
 taphora facit, qua & supra Psalmo præcedenti versu 5. vsus est. Addidit huius rationem, non dicit,  
 Quoniam nihil est periculi, nemo erit qui negocium faceat: & si quisquam hoc tentet, facile illum,  
 quia rex sum & potens, deinde bellandi dexterrate instructus, oppressero: sed, Quoniam de ope  
 tua solius certus sum, quod me etiam si ab innume ris impugner, tutum tamen ac talem redditurus  
 sit, qui non vt aliquando, vagus in montibus & deserto oberrem, sed tutò & inmotè habitem.

*Multi dicunt, Quis ostendet nobis bonum.* ] Notemus hic, quàm in oculis filiorum huius seculi deplora- **OBS. 1.**  
 ra sit piorum & innocentum conditio, vbi potentum improbitate affliguntur & iactantur: nec  
 quenquam inuenturi videntur, qui aliquid auxiliij adferre possit vel velit, etiam si possit. Pars im-  
 meritos vnà cum potentioribus persequuntur: pars aliàs odio perdit, perditos eos magis quàm  
 seruatos cupiunt: reliqui et si innocentiam illorum agnoscunt, metu tamen potentiorum absterri-  
 d 2 nihil

nihil opis adferunt: sed quasi fabulæ spectatores agunt & plerumq; dolent & ingemiscunt. Verùm ista non absq; consilio Dei geruntur, qui electos suos ad hunc modum exercet, vt & ipsi in fide prudentiæ ipsius crescant, & confirmentur, & tandem occasio sit declarandæ ipsius erga impios iustitiæ, & pios afflictos bonitatis & gratiæ.

OBS. 2.

*Leua super nos lumen vultus tui Domine.* ] Admonemur hoc loco, quòd in rebus deploratis, vbi nullum vspiam ab vllis hominibus auxilium adfertur, confugere debeamus Dominum implorat Propheta, à cuius gratia & benevolentia sciebat pendere omnia. Vnum hunc aduersa ijs omnibus opponit. Sequamur hoc exemplum & nos. Impetimur à Mundo, & periclitamur in omnibus, ita vt passim res nostræ deploratæ videantur. Quid faciemus aliud quàm quòd hic Propheta optima fiducia facit? *Leua, inquit, super nos lumen vultus tui Domine.* Dicamus & nos, sed dicamus pa i fide Tristissimus est seculi huius aspectus, interitum minantur omnia: tu saltem placido vultu res nostras intuere, & nihil vspiam erit periculi.

Deinde in eo quòd vultui DE I lumen adscribit, quo in reb. afflictis mentium dispellantur tenebræ, ad hoc nobis seruiat, vt cogitemus quanta sit futura electorum felicitas, qui vultui Dei perpetuò adstant: & contrà, quanta eorum miseria, qui illo in sempiternum priuabuntur, vt merito, secundum Euangelicas sententias, tenebris mancipandi dicantur.

OBS. 3.

*Dedisti letitiam in corde meo.* ] I. Notandum hîc est boni principis ingenium, erga subditos paternæ dilectionis affectu præditi. Populo sibi subiecto rerum necessarium affluentiam gratulatur, non vt ex hac ipse ditescat, sed vt subditis bene sit. Quantum obsecro ab hoc boni principis absunt ingenio, qui in hoc se putant imperandi consequutos potestatem, vt subditorum substantias per fas & nefas vel accisores reddant, vel prorsus auferant, & ad suam ipsorum libidinem conuertant. nihil agentes aliud, quàm vt in sudore ac sanguine subditorum libidinentur? Verùm iusto DE I iudicio impiorum hominum tyrannidi subiiciuntur, qui piorum principum clementia abuuantur: id quod Iudæis accidisse, historiam illorum legentibus abundè satis liquet.

2. Quòd autem non simpliciter dicit, *Dedisti letitiam*: sed addit, *In corde meo*: admonet nos, quid discriminis sit inter externam quæ oris est, ac gestuum; & internam, quæ cordis est, lætitiã. Neq; enim emphasim tantum hac loquutione, sed & veritatem lætitiæ expressit. Discamus igitur hoc loco, non solum quo debeamus esse erga proximorum prosperitatem affectu, sed & quàm verè ac sincère gaudere cum gaudentibus.

OBS. 4.

*A tempore, quo frumentum & vinum eorum multiplicata sunt.* ] I. Primum videmus hîc multiplicationem frumenti ac vini Deo tribui. Non enim dixit, *Data est letitia*: sed, *Dedisti letitiam in corde meo*. ac tum subiunxit: *A tempore, quo frumentum & vinum eorum multiplicata sunt*: significans eam frumenti ac vini multiplicationem inuinus esse Dei.

2. Deinde gratiam hanc terrenæ fertilitatis contingere diuini ius, etiam ingratas ac reprobis: B quales certè erant quorum hîc Propheta meminit. Vnde eius diuinæ bonitatis admonemur, cuius CHRISTVS Matth. 5. meminit, dicens: Qui solem suum producit super bonos & malos, & pluit super gratos & ingratos.

3. Tertio, quamuis terrena sit, & reprobis quoq; communis ista frumenti ac vini fertilitas, alienum tamen haudquaquam esse à sanctis, vt huius nomine, per charitatis affectum gaudeant, & hanc populo suis gratulentur, qua certè in re Propheta hîc mirum in modum à fanaticis hominibus quos Anabaptistas vocant, dissentit: qui vix permittunt, vt pro pane terreno ad patrem ores.

4. Quarto, etiam hoc notandum est, quàm sint inhumani, qui in frumentaria fertilitate vel animis redduntur abiectis, vt pote qui annonæ charitatem turpissimi lucri gratia aucupantur, vel consilium de coaceruandis ac in detrimentum vulgi reponendis frugibus capiunt. Quantum & isti quæso ab hoc pijsimi regis absunt affectu? 5. De vino quid dicam? Huius nostro miserissimo seculo tantus est abusus, vt de illius abundantia nec Dauidem, si in viuis ageret, nec quempiam alium sensatum gauisurum crediderim. Vino replentur omnia, corrumpuntur omnes status, omnes ætates, dissoluntur omnia honestatis iura, repletur terra ociosis ventribus, curiosis studijs, imò nefandis facinoribus. Creaturam Dei bonam non damnamus, sed abusum notamus: & quæ ex abusu ac luxu est omnium rerum corruptionem deploramus. Nisi malo huic in tempore occurrant qui rerum potiuntur non video quomodo ebria Germania bellum hoc periculosissimum, quod à Turcis sobrijs & mirè vigilantibus inferitur, sustinere possit. Da Domine Iesu, vt cum primis ex hac crapula & ebrietate, quam nouissimè hisce temporibus futuram prædixisti, magistratus ac principes nostri euigilent, & sobrietatem gerendis rebus summe necessariam cum vera pietate complectantur.

OBS. 5.

*In pace simul accubabo, & dormiam.* ] Quòd non simpliciter dicit, *In pace accubabo*: sed, *In pace simul*: id est, vnà cum meis accubabo, & dormiam: iterum paterni nos affectus in hoc pientissimo Rege admonet, qui de non sua tantum, sed simul etiam suorum pace ac securitate, quam futurum sperat gloriatur. Utinam nostri principes hodie non ipsi subditorum suorum pacem ac tranquillitatem insanis bellorum motibus perturbent: vsq; adeò irrequieti, vt nec sibi ipsis, nedum subditis, pacis bonum saluum relinquunt.

OBS. 6.

*Quoniam tu Domine solus consistenter habitare me facies.* ] Vides hîc, in cuius manu sit principi ac subditis pacem dare, & rerum tranquillitatem. Tu, inquit, Domine solus confidenter habitare me facies. Solus reuera est Deus dare, vt firmam ac constantem pacem habeamus.

Cur ergo bonum hoc à Mundi principibus, neglecto, imò plerumq; inuito Deo, quærimus? Cur non vnus voluntati studemus, à quo vno ac solo omnem omnium rerum prosperitatem pendere scimus.

P S A L M V S V.  
AD PRÆCINENDVM PRO HÆREDI-  
TATIBVS, PSALMVS DAVID.

**I**llud, pro hæreditatibus, Ebr. אלהינו לרור est: quam dictionem quidam hoc loco pro musicis instrumentis positam esse volunt: id quod facile concesserim, præferim cum Chald. hic habeat ad hunc modum: וישבתא לדוד לשבחא על הגן. id est: Ad celebrationem super tripudijs laudatoria Davidis.

ARGVMENTVM PSALMI.

Petit à Deo Propheta, vt verba & vocem clamoris sui exaudiat: simulq; in illius iustitia ita dirigi orat, vt non solum in hostium suorum laqueos non cadat, sed & illi à consilijs suis irretiantur, destruantur, & repellantur: vnde futurum sit, vt in ipsum sperantes latentur, exultent, & iuculentur.

Diuisio Psalmi.

Sunt autem quatuor Psalmi partes. 1. Prima, versu 1. & 2. Deum orat, vt verba, vocem & clamorem suum exaudiat.

2. Secunda, versu 3. 4. 5. 6. & 7. manet se ad Deum respecturum, sibiq; ipsi pollicetur, quod sit exaudiendus ab eo: futurumq; sperat, vt denuò restitutus, ingressurus sit tabernaculum Dei, inq; illo Dominum adoraturus, eò quod ille impios, maliciosos, insipientes, iniquitatem operantes, mendaces, & viros sanguinum nec velit, nec ferat, sed odio habeat, perdat, & abominetur.

3. Tertia, versu 8. 9. & 10. orationem adiicit, qua petit vt in iustitia Dei dirigatur, & vt hostes destruantur ac pellantur.

4. Quarta, versu 11. & 12. fructum commemorat, qui ex eo, si hostes pellantur ac destruantur, ad pios sit rediturus.

PRIMA PARS.



**M**ERBA mea auribus percipe Domine, intellige meditationem meam.

VERS. I.

2. Intende voci clamoris mei Rex meus & Deus meus, quoniam ad te oro.

LECTIO.

Intellige meditationem meam. ] Græcus habet, οὐκ ἔστιν ἡ ἀκούσις μου: id est, Intellige clamorem meum. Chaldæus legit מִבְּחִירָתִי: id est, Intellige canticum meum. Ebræ. est, בְּחִירָתִי: id est, Intellige meditationem meam: à verbo חָנַן, quod est, meditatus est, quod tamen & ad canticum referri potest: sicut & de auctulis Germani loquimur, quarum meditationes hoc est, tacitas cantionculas, dichten vocamus. Verùm hic sensus Psalmi huius argumento non conuenit, ideo meditationis dictionem vsurpare malui.

**B** Intende voci clamoris mei. ] Græcus legit, ἀκούσας μου: i. e. præcationis meæ. Chaldæus מִבְּחִירָתִי: id est, petitionis meæ.

Duobus hisce versibus, in quibus nihil est obscuri magno serio Propheta obnixè ad DEVM EXPLORAT, sicut ex verbis patet, vt ad se orantem exaudiat. Exæstantes cordis affectus indicat, quòd orationem suam, iam verba sua, iam meditationem suam, iam vocem clamoris sui vocat, deinde & illud, quòd idem toties ingeminat dicens: Auribus percipe: item, Intellige: ad hæc, Intende. Ad quod & hoc pertinet, quòd Dominum vocat regem suum, ac Deum suum. His certè verbis æstum cordis sui satis luculenter expressit, vt intelligere liceat, in quib. fuerit angustijs, & quanta cum fiducia ad Deum in tribulationibus confugerit.

Illud, Intellige meditationem meam, conuenienter posuit. Est enim animi adflicti meditatio, non manifesta verborum expressio, sed tacitus quidam cordis egestus, nemini nisi soli cordium cognitori intelligibilis. Commodum ita non dixit, Intellige verba mea: sed, Intellige meditationem meam.

Quòd autem dicit, Rex meus & Deus meus: item, Quoniam ad te oro: ad hoc facit, vt fiduciam suam, implorandiq; diuini auxilij motū in animo suo confirmet. Ad quem enim subditus in reb. adflictijs, præsertim improborum violentia pressus, rectius confugiet, quam ad regem suū? & pius in tentationib. constitutus, quàm ad Deum suum? Ideo rectè, postquam dixit: Intende voci clamoris mei: subiicit: Rex meus, & Deus meus, quoniam ad te oro: hoc est, Quoniam te tanquam regem meum & Deum meum, in hisce meis adflictionibus imploro, nol's igitur aurem tuam à voce clamoris mei auertere.

Principiò notandum est, quòd exauditionem orationis suæ Propheta, tanto serio, tamq; efflictim expetit. Quia in re admonemur, quanti nobis debeat esse momenti, quòd Christus nobis de Patre nostro cælesti pollicitus est, dicens: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Si enim omnis nostra salus à benevolentia Dei patris nostri pender, quis videt, quamam adferat infelicitatem, si illa destitutus diuinæ propitiationis aures claudantur?

OBSER. I.

Verba mea auribus percipe Domine. ] Notandum est tria orationis genera duobus hisce versibus indicari. Primum est, quod verbis perficitur: de quo loquitur, cum dicit: Verba mea auribus percipe Domine. Alterum est, quod in tacita meditatione cõsistit, quod innuitur, cum dicit: Intellige meditationem meam. Tertium est, quod eiulatu, clamore ac lamentis profunditur: huius meminit, dicens: Intende voci clamoris mei. Non est autem putandum, quòd animus adflicti aliquo horum orationis genere separatim ac studio vtatur, sed pro æstu cordis & impulsu angustiae, iam verbis orat, donec sedator est: iam à verbis ad meditationem & suspiria fertur: deinde ingrauescente, seseq; vi quadam exerente cordis angustia, in clamorem, eiulatum, & lamenta prorumpit. Cum itaque ad hunc modum inter

OBSER. II.

orandum comparatus sit ad afflictus animus: qui quæso spiritu ducuntur qui orare nesciunt, nisi in publico, ubi vel adstantium, vel prætereuntium oculis & auribus obijciuntur, cum qui serio sunt ad Deum oraturi, secessum magis quam publicum conspectum expetant?

**OBSER. III.** *Intelligite meditationem meam.* Particula hæc singulariter notanda est. Non enim precationem duntaxat Propheta habet, sed & autore Spiritu sancto, cuius instinctu Psalmi cõpositi sunt, de eo nos admonet, quod cordium nostrorum meditationes non solum alijs mortalibus incognitas, sed & nobis ipsis plerumque haud admodum intelligibiles à Deo cognoscantur & intelligantur. Ro. 8. dicit Apostolus. Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus. Sanctorum gemitus & meditationes in rebus tristibus, adeo sunt frequenter inenarrabiles, ut nullis queant verbis exprimi. Verum qui cordium profunda scrutatur, desideria afflictorum intelligit: actualis est, ad quem animus anxius ac gemens, dicere queat, *Intellige meditationem meam.*

**OBSER. IV.** *Intende voci clamoris mei.* Sicut ingenium piorum in afflictione constitutorum & ad Deum orantium, ita & Dei erga ipsos benevolentia duobus hæc versibus sub forma precationis consideranda proponitur. Non est enim putandum, ea quæ sancti à Deo Spiritu sancti instinctu orant, talia esse, quæ ab illo non præstentur. Non igitur hoc solum in præsentibus hac est particula notandum, quod Propheta Deum orat, ut voci clamoris sui intendat: sed & quod ille talis sit, qui ad clamorem suorum in tribulationibus, ad se clamantium attendat. Loquitur autem Propheta ad morem illum paternum, quo aures patris ad clamorem periclitantis filij omnium sunt attentissimæ: quod ij probè sciunt, qui paternos sunt affectus in seipsis experti. Imò non solum parentes erga liberos in necessitatibus, ad se clamantes hoc animo præditi sunt, sed & quibusvis hominibus. (de illis non loquor, quos verius bestias quam homines dixeris) affectus hic verè humanus à natura est inditus, ut ad quemvis angustiatum hominis clamorem & ipsi anxij, & ad succurrendum parati, magna commiseratione attendant, nec alijs qualibuscunq; negocijs ab hac attentione facile auerti queant. Tale quid nobis ista Propheta precatio de Deo considerandum proponit.

**OBSER. V.** *Rex meus & Deus meus.* Notemus istam *ἡ βασιλευς ἡ θεὸς*, plenam erga Deum fidei, subiectionis, reuerentiæ & gratitudinis, tantique affectus, ut etiam si verba expendas, spiritum tamen illa proferentem haudquaquam plenè consequi valeas. Regis dictione plenam omnium rerum gubernationem ac potestatem, Dei verò certissimam & præsentissimam protectionem, liberationem, ereptionem ac conseruationem expressit: fidem verò suam, reuerentiam, subiectionem, & animi gratitudinem erga Deum per hoc ostendit, quod non simpliciter dicit, *Rex & Deus*: sed, *Rex meus, & Deus meus*. Cum rex esset populi Dei, magis ad hoc confugit in rebus aduersis, quod sciebat se regem ac *DEVM* habere in cœlis, quam ad regiam suam potentiam ac maiestatem. Sciebat enim ne regem quidem sua ipsius, sed magis superni regis ac Dei virtute seruari posse. Utinam hodie nostri quoque reges hac essent erga Deum fide ac subiectione, ut cum hoc pientissimo Dauide ad illum, tanquam cœlestem regem ac Deum & ipsi confugerent potius, quam quod tantopere de suis viribus, præsumunt & insolentunt, ita ut sint qui se gentiliū Cæsarium more *ἀντροπάτορας* vocare sinant.

**OBSER. VI.** *Quoniam ad te.* Notanda est hæc *ἡ προσευχή*, quæ rationem reddit, quare à Deo petat, ut voci clamoris sui intendat. *Intende, inquit, voci clamoris mei, Rex meus, & Deus meus.* Quare? *Quia te oro.* Admirabilis planè *ἡ προσευχή*. Debetne Deus ideo clamantium vocibus intendere, eò quod ad ipsum orant? Si dicat diuiti pauper, Succurre necessitati meæ, quoniam ad te oro: quæso quid audiet? Debeone tibi propterea opem ferre, & quæ mea sunt nihil merito impendere, eò quod ad me oras, & opem meam imploras? Certè ad hunc modum diues *ἡ προσευχή* istam apud se nihil haberi momenti declarabit. Sed quare? Quia videlicet sua nihil referre putat pauperis necessitatem & miseriam. Verum alia est Regis ac Dei conditio erga subditos ac fideles suos. Nec rex, nec Deus ad subditos suos rectè dicet, Quid est quod ad me oras, & ad fidem meam confugis? Quid mea inter est, pereasne, vel serueris? Nec regia est hæc vox, nec Dei. Vtriusque est succurrere laboranti subditis, & clamorem eorum non aspernari, sed placidè ac fideliter suscipere. Proinde *ἡ προσευχή* ista coram Deo plurimum habet momenti, quia dicit hic Propheta: *Quoniam ad te oro.* Vnde & præmisit, *Rex meus & Deus meus*, quasi dicat: Ad te Domine confugio, ad te oro & clamo, tanquam subditus ad regem meum, & miser & calamitosus ad Deum meum: quapropter intende voci clamoris mei, &c. Det Dominus, ut hac erga ipsum fide simus & nos.

## ALTERA PARS PSALMI.

3. *Domine manè audies vocem meam, manè preparabo (me) tibi, & contemplanbor.*  
4. *Quoniam non Deus volens impietatem tu, non habitabit iuxta te malitiosus.*  
5. *Non permanebunt insipientes ante oculos tuos: odisti omnes qui operantur iniquitatem.*

6. *Perde eos qui loquuntur mendacium: virum sanguinum & dolosum abominatur Dominus.*

7. *Ego autem in multitudine bonitatis tue inuiroibo in domum tuam, adorabo in templo sancto tuo in timore tuo.*

**LECTIO.** *Manè preparabo tibi.* Ebr. est *מָנָה אֶפְרָאֵב לְךָ*. Græcus reddidit: *ἡ πρότερον ἀπαρασκευαστοῦ σοι*: i. e. Manè ad stabo tibi. Hier. Manè preparabor ad te. Chald. *מָנָה אֶפְרָאֵב לְךָ*: i. e. Ordinabor coram te.

*Non permanebunt insipientes.* Ebr. *חַלְלֵי יוֹם*. Græc. *ἀπάνομοι*: id est, iniqui: sicut & Hieron. legit. *Veni riu Ebrao:*

**A**rum Ebraeorum dictio plerunque *stultos, insipientes & insanos* significat. Et Chald. legit *מחול עברי*: id est, *Insani*.

*Ego autem in multitudine bonitatis tuae.* ] Ebr. est *אני בחסדך רב*: id est, *Et ego in multitudine bonitatis tuae.* Vers. 7.  
Græcus vertit, *τὸ ἰδὲν οὖν*: id est, *Misericordia tuae*. quam lectionem seruaui & Hieron. Et Arabs quoque legit: *Miserationis tuae*. At Chald. habet *חַסְדֵּךְ* id est, *Bonitatis tuae*.

Exprimit hac Psalmi parte Propheta cordis sui ad Deum fiduciam: futurumque sibi ipsi pollice. **EXPLA-**  
tur, vt pristinae dignitati restitutus, & à tam improbis inimicorum conatib. liberatus, denuò domum **NATIO.**  
ingrediatur, ibiq; Dominum religiose adoret.

*Domine, manè audies vocem meam.* ] Potest hic versus exponi vel de ea oratione, quam ad Deum in-  
terea dum profligatus esset ab Absalomo, destinauit: vel de assiduitate illa in domo Dei orandi,  
quam sibi præsumperat, si restitueretur. Sedulitas orandi in eo expressa est, quòd non simplici-  
ter dicit, *Audies vocem meam, & præparabo me tibi*: sed, *Manè audies vocem meam, manè præparabo me tibi.* Qui  
quod agunt, sedulo agunt, & ex animo: mox manè illi incumbunt, ac vix serò & vesperi desinuat.  
Sic Germani dicimus, *Er ist früh vnd spat an der arbeit*. Sancti quoniam ex animo ac sedulo ad De-  
um orant, manè, meridie, vesperi, medijs noctib. orationi incumbunt, præsertim in tribulationibus  
& angustijs constituti. Sic præsentì loco & alijs nonnullis dictio hæc *Manè* vsurpata est. Vt Psal. 59.  
Manè celebrabo bonitatem tuam. Et Psal. 88. Manè oratio mea præueniet te.

*Manè præparabo ad te, & contemplanor.* ] Hac particula cordis ad orandum præparatio, intentio, & ad  
Deum eleuatio exprimitur. Nihil hinc non vehementer serium est: ardent omnia in orationib. san-  
ctorum.

*Quoniam non Deus volens impietatem tu es.* ] Rationem fiduciæ suæ subiicit. Colligit hanc ex ingenio Vers. 4. 5. 6.  
diuinæ iustitiæ. Qui iustus est, iniustitiam reprobatorum hominum ferre non potest, nec vnquam  
partes impiorum tueri sustinet, Simile simili congaudet, & pares paribus iunguntur: contrarijs ac  
diuersis nemo delectatur. Quoniam, *inquit*, impietate non delectaris, sed odisti omnes operantes  
iniquitatem, virosque sanguinum ac dolosos abominaris, fieri non potest vt inimicorum meorum  
impietatem, maliciam, insipientiam, praua studia, mendacia, crudelitatem ac dolos non detesteris:  
ideoque certò mihi persuadeo futurum, vt oppressis illis in locum meum restituar. Notat autem  
his verbis coniuratorum Absalomi impietatem, maliciam, dolos, praua studia & crudelitatem.  
Impijerant erga Deum: rebellando vncto Dei: mali, propter studium malorum: insipientes, quòd  
impossibilia, sibi que ipsis noxia tentabant: dolosi ac mendaces, quòd cum hæctenus habiti fuerant  
ministri regis maliciòse contra eum coniurarunt: crudeles, quòd necem regi machinabantur. Lo-  
quitur autem de Deo per anthropopathiam, tanquam de iusto quodam principe, qui malos homi-  
nes coram se ferre nequeat, cum dicit: *Non habitabit iuxta te maliciosus, non permanebunt insipientes ante o-  
culos tuos, &c.*

*Ego autem in multitudine bonitatis tuae.* ] Hoc versu perspicuè significat, non solùm qua sit adhuc pro-  
pter bonitatem Dei fiducia, sed & quid potissimùm in ea profligatione molestè ferat, nempe quòd  
è domo Dei quasi alienus à populo Dei esset eiectus, nec liberum esset ingredi pro more in taber-  
naculum Dei. Hoc dolebat viro Dei plurimùm. Concepta itaque liberationis fiducia, veluti glo-  
riatur de futuro ad tabernaculum Dei reditu, quem apprinhè & efficitim suspirabat. Cùm Hiero-  
sol. fugiens relinqueret, dicebat ad Sadoch sacerdotem: Reporta arcam Dei in urbem. Si inuene-  
ro gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum: Si autem  
dixerit: Mihi non places, præstò sum, faciat quòd bonum est coram se. Quibus verbis licet signifi-  
caret se totam hanc causam diuinæ voluntati assignare, simul tamen innuebat, quo esset affectu er-  
ga arcam & tabernaculum Dei. Postea verò, cùm factus esset animo confirmator, speque restitu-  
tionis erectior, ad hunc modum orauit, vt diceret: *Ego autem in multitudine bonitatis tuae introibo in domum  
tuam, adorabo in templo tuo, in timore tuo.* Intelligit autem per templum, tabernaculum illud quò vsi sunt  
antequam templum per Salomonem strueretur. Illud *In timore tuo*, quòd Ebr. est *ביראתך* idem est at-  
que, *In cultu tuo*. Solet enim Scriptura hanc timoris dictionem pro cultu vsurpare, quo Deus religio-  
sè ac reuerenter colitur à pijs. Neque enim melius cognosci potest, qua quis sit erga Deum religio-  
ne, nisi ex cultu.

*Domine audies vocem meam.* ] 1. Notanda est hæc loquendi formula, *Audire vocem*, pro eo posuit quòd  
est, *exaudire precem*, & succurrere laboranti. Non mox petentem exaudit, quisquis vocem illius  
audit. Verùm ea est fiducia sanctorum erga bonitatem Dei, vt ipsius audiri vocem orantium, idem  
sit quòd exaudiri. Pollicentur enim tantam sibi, tamq; paternam in Deo erga se beneuolentiam, vt  
nesciat vocem ad se clamantium contemnere. 2. Deinde & hoc obseruemus, quòd certò loquitur  
per affirmationem, *Manè audies vocem meam*. Certi sunt credentes, audiri vocem ipsorum à Deo. Est  
ille vbiq; præsens, non Deus à longinquo, sed è vicino: *Quem dabis mihi sanctorum mortuorum,*  
ad quem inuocatores illi sanctorum indubitata ac certa veritate dicere queant, quòd auditorus sit  
voces ipsorum, quouis ad se loco clamantium?

3. Tertiò, in eo quòd dicit, *Manè*: notandum est primùm, quæ sit pijs, præsertim in afflictionib.  
còstitutis, orandi sedulitas. Spiritu precationis aguntur, quo corda illorum rapiuntur & accendun-  
tur. Interea friget eorum oratio, qui per hypocritam orant, vel quæstum orando sequuntur. Sancto-  
rum exemplum in speciem sequuntur Pontificij, dum constituas preculas nocturnas, matutinas, &c.  
emurmurant: verùm deest precationis spiritus. Quòd ipsi ex præcepto humano, & propter quæ-  
stum faciunt, fecerunt & faciunt sancti libero spiritus impulsu.

4. Quartò. Nec illud prætereundum est, quòd dicit: *Præparabo me tibi, & contemplanor.* Notandù hinc  
est, quid

**OBSER.**  
I.  
*Quadam  
orationem  
piorum con-  
cernentia.*

est, quid ad sinceram precandi sedulitatem requiratur, animus videlicet ad Deum præparatus & intentus. Neceffe est vt reliqua omnia ex animo abijciantur, nec fit quod aliorum mentis cogitationem & intentionem auocet. Non enim verba moratur Deus, sed ipsam cordis intentionem, vt orans totus ab ipso pendeat. Quantam quæso religionem erga Deum requirit ista cordis præparatio & intentio?

OBSER.  
II.

Quoniam non Deus volens impietatem tu. ] Notemus hîc, quo vlu sit sanctis cognitio Dei. Nouit Deum Propheta esse osorem impietatis, maliciæ, insipientiæ, iniquitatis, mendaciorum, ac crudelitatis: indeque argumentum sumit, non posse consistere ante faciem eius impios, malos, insipientes, iniquos, mendaces & crudeles. Qui in principum aulis sunt, studiosè hoc agunt, vt ingenia principum cognoscant: vnde facillè colligunt, quid apud eos obtinere possint, quid non. Quanto melius & necessarium magis est, ingenium Dei cognoscere, vt inde instruamur, quod genus hominum probet, quod reprobet? Præsertim quando periculum est à subdolis & hypocritis, qui specie pietatis negocium faciunt simplicibus ac pijs, plurimum conducit ad confirmandas in afflictione fidelium mentes ista diuini ingenij cognitio: vt pote, si vrgeat potentia & autoritas hypocritarum, qui Mundo videntur propter diuini cultus titulum haberi in precio, constanter cogitandum est cum Dauide: Non est Deus amator hypocriseos, non est amator symoniæ, detestatur idololatriam, quæstum, scortationem, &c. ergo fieri non potest, vt non detestetur hypocritas, symoniacos, &c. Execratur tyrannidem & oppressionem innoxiorum: ergo non poterit non supplicium sumere de oppressoribus, tyrannis. Amat viduas & orphanos: ergo non ferent impunè, qui illis molestiam inferunt. Rursus quoniam ista detestatur, necesse est vt contrarijs delectetur, nempe pietate, bonitate, æquitate, veritate, misericordia, sinceritate ac pietate, &c. atque ita complectatur pios, bonos, æquos, veraces, misericordes sinceros ac puros, &c. In summa, magnus est hic cognitionis Dei vsus, ac pij plurimum in illa sese exercent. Deinde & hoc nota. Non dicit, Quoniam non reperis in me impietatem, malitiam, insipientiam, iniquitatem, mendacium, &c. vel, Quoniam Deus volens pietatem tu, habitabit iuxta te bonus, permanebunt sapientes ante oculos tuos, amas omnes qui operantur æquitatem, &c. sed, Quoniam non Deus volens impietatem tu, non habitabit iuxta te maliciosus, &c. Cautè cum vellet præmissæ fiducia rationè subijcere, talem inducit, quæ non nitatur propria iustitia, sed magis sumpta sit ex inimicorum impietate & malicia, eaque tanta, vt à Deo osore omnis impietatis & maliciæ ferri nequeat, sperans se liberatum iri non tam propter suam ipsius iustitiam & perfectionem, quàm propter aduersariorum impietatem & crudelitatem. Nemo piorum ita iustus est, vt propria iustitia in iudicio Dei consistere possit, sicut & hic Propheta alibi dicit: Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificatur in conspectu tuo vlus viuens. Quapropter etiam sancti ac pij homines, si quando impiorum hominum malicia premuntur, magis ob id se liberandos esse credunt, quòd Deus, cum iustus sit, & iniustitiam & maliciam impiorum detestetur, impiorum hominum partes tueri nequeat, quàm propter suam ipsorum iustitiam.

Impietatem, &c. maliciosos, insipientes, operantes iniquitatem, &c. ] Notemus hîc descriptionem impiorum, quomodo à Propheta quasi quibusdam coloribus depingantur. Nemo piorum dubitet, singulari factum esse Spiritus sancti consilio, vt in S. Scripturis impiorum hominum non minus quàm piorum imagines & descriptiones ponerentur. Etenim sicuti veræ pietatis exempla in pijs, ita vicissim impietatis imago in impijs, illa quæ sequamur, hæc quam fugiamus, proponuntur. Imò plurimum ad cognoscendum veram impietatem facit, si impietatis imagines ex opposito accuratè, spectentur. Ponuntur autem tribus istis versibus, 4. 5. & 6. duæ vitiorum ac scelerum triades, quarum prior interna, ipsas impij cordis radices: altera externa, malos malarum radicū fructus concernit, vt ita totus homo impius internè & externè describatur. Ad internam triadem, quæ etiam recto ordine prior ponitur, pertinet, quòd aduersarios suos impios, maliciosos, & insipientes: ad alteram referendum est, quòd eos operadores iniquitatis, mendacia loquentes, virosq; sanguinum ac doli vocat. Ergo impietas, malicia, & insipientia sedem habent in corde impio, coniunctæque sunt ita, vt à se inuicem auelli nequeant. Vbi diligenter notandum est, quàm appositè duabus prioribus, impietati videlicet & malitiæ, coniuncta sit insipientia: quæ ita comparata est, vt de vtriusque prædicari possit. Sicut enim pietas sapientia, & pius sapiens: ita impietas insipientia, & impius insipiens: ac rursus, sicut bonitas sapientia, & bonus sapiens: ita malicia insipientia, & malus insipiens rectè vocatur. Loquor autem de sapientia & insipientia coram Deo, non coram Mundo. Infrà Psam. 14. dicit: Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus: Dicere in corde, Non est Deus, est planè impium. Qui hoc autem dicit, vocatur hîc insipiens. Salomon alicubi dicit: Initium vel caput sapientiæ est timor Domini. Pertinet autem timor Domini ad pietatem. Vera sapientia est, non solum præsentia & temporaria, sed & futura & æterna prospicere, & quæ salutem perpetuam sunt necessaria, studiosè complecti. Non potest ea possideri, nisi Deo coniungamur, bonitatisq; illius participes reddamur. Coniungimur autem illi pietate ac bonitate. Pietate in illum quodammodo transferimur, vbi regenerati, per bonitatem erga proximum paternum ingenium refundimus ac declarati. Contra insipientia est, talem se gerere, vt perpetua incuratur perditio. Contrahitur illa ex communicatione regni satanæ, cui per impietatem incorporamur, vnde conceptam maliciam in quosuis effundimus. Vt enim pietas erga Deum parens est bonitatis erga proximum, ita impietas maliciam generat. Quæ in altera sunt triade, fructus prioris concernunt, sicuti memini. Siquidem ארר חרר חרר: id est, operatio iniquitatis, & falsiloquium, & sanguinaria fraudulentia, fructus sunt impietatis & maliciæ: sicut eregionè operatio æquitatis, veriloquium, & sincera beneficentia ex pietate ac bonitate regenerati cordis nascuntur. Est autem operari iniquitatem, studere iniquitati quouis modo patranda: quod

OBSER.  
III.

Quod studium piorum esse non potest. Peccant quidem & illi, sed iniquitati non student. Falsiloquium, quod hic impijs datur, non est, quando simpliciter quod verum non est dicitur: quod nunquam vel ex ignorantia & errore, vel ex carnis infirmitate, aut simili aliqua tentatione etiam pijs accidit, & aliquando dilectionis studio fit: sed quando ex malicia ad nocendum proximo mendacium dicitur. Quod genus mentiendi apud pios non reperitur. Tale erat Saulis ad Dauidem mendacium, cum diceret: Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi uxorem: modò esto vir fortis, & præliare bella Domini: & Absolomi quoque, cum votum in Ebron soluendum simularet. At tale non erat Gabonitarum, Iosue 9 nec Ionathæ erga Saulem patrem suum pro Dauid, quod verum non erat dicentis, 1. Sam. 20. multo minus quod per ignorantiam committitur. Sanguinaria crudelitas non est quævis sanguinis effusio, sed ea quæ fraude ac malicia singulari periclitatur: qualis erat Cain, Saulis, Doëg, Absalomi, & coniuratorum illius: qualis etiam erat scribarum & pharisæorum, & qualis hodie est, ac plerisque seculis fuit Romanæ sedis pontificum, sacerdotum ac monachorum. Quapropter hîc Propheta non simpliciter dixit, *Effusorem sanguinis*: sed, *Virum sanguini*: nec solum dixit, *Virum sanguinis*: sed adiecit, *fraudis*. Alloqui & ipsi Dauidi & hoc tribuit Deus, quod multum sanguinis fuderis: nec tamen ob id eum coram Domino abominabilem fuisse legimus. Prohibitum quidem ab ædificatione templi Scriptura meminit, propterea quod sanguinem plurimum in bellis effudisset: at Deo ob eam causam execrabilem fuisse, non meminit. Sic enim 1. Paralip. 22. legimus: Dixitque Dauid ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit, ut ædificarem domum nomini Dei mei: sed factus est sermo Domini ad me, dicens: Multum sanguinis effudisti, & plurima bella bellaisti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me, &c. verum non effuderat sanguinem ex malicia & fraudulentia cordis impij: sed bella Domini bellauerat, populumque Dei, iussu Dei defenderat, Non ergo notantur hoc versu ij, qui ex magistratus functione nocentes puniunt, ac sanguinem illorum fundunt: sed impiorum ac malicioforum hominum sanguinaria crudelitas taxatur, etiam si non manu, sed consilijs tantum & verbis perficiatur.

*Ego autem.*] Notandum hîc est, qua vtatur pijsissimus rex antithesi. De aduersarijs suis confidenter pronunciauit, quod tanquam impij, maliciofi, insipientes, operatores iniquitatis, mendaces, ac viri sanguinum, ideoque & Deo inuisi & abominabiles coram oculis Dei persistere nequeant, sed perdendi sint omnino: iam verò in altera antithesis parte ab horum se numero, impietate ac forte seungit: ac non modò diuersam sibi, sed longè etiam potiorem sortem sperat ac vindicat, dicens: *Ego autem in multitudine bonitatis tuæ introibo in domum tuam, &c.* Ergo sancti quamuis se ipsi nec iustificent, nec extollant, perspicuè tamen inter se & impios discriminant, & longè meliora sibi quam quæ impios manere indubitanter sciunt, coram Deo pollicentur. Infirmitatem suam & imperfectionem in omni pietatis studio probè quidem agnoscunt & deplorant: huius tamen nomine impiorum, se nec societati, nec forti coniungunt, sed qua sunt erga Deum fiducia, planè diuersa & potiora sperant.

*Introibo in domum tuam.*] Quid hoc magni erat? An non patebat aditus ad domum Dei innumeris Iudæis, quibus tum ea facultas non adeò magna æstimabatur? Pijs hic animus est, vt magnæ felicitatis loco ducant, si liceat libere domum Dei inuisere, ac societati piorum coniungi: qui affectus non adeò multis communis est. Non dicit, *Introibo in domum meam, ac meis denuò fruor*: sed, *In domum tuam, inquit, introibo.* Nec dicit, *Ingreddior*: sed, *Introibo*: spe futuræ libertatis, non vsu præsentis exhilaratur. Quantam putas animi iucunditatem tum sensit, cum copiam introeundi in domum Dei nactus esset, illaq; iam vteretur provoto, si tantopere spe potundæ aliquando facultatis huius exhilarari potuit? Væ nostræ desidiæ, qua fit, vt cum tædio domum & ecclesiam Dei ingrediamur. Quid de illis autem sentiendum, qui eam prorsus auersantur?

*In multitudine bonitatis tuæ.*] 1. Obseruandum hîc est, qua re fretus aditum sibi ad domum Dei homo malorum improbitate profligatus polliceatur. Non dicit, *Ego autem in iustitia mea, & multitudine meritorum meorum*: sed, *Ego autem in multitudine bonitatis tuæ*: hoc est, in fiducia multijugæ bonitatis tuæ introibo in domum tuam. Ergo quamuis se à consortio ac sorte impiorum discernat, haud quaquam tamen propriæ iustitiæ perfectione, sed magis diuinæ bonitatis amplitudine fretus, futurum sperat, vt aliquando domum Dei ingredi liceat. Erat planè innocens, & maxima iniuria ab impijs aduersarijs profligatus: nec tamen dicit, *Ego autem in multitudine innocentia meæ*: sed, *In multitudine bonitatis tuæ introibo in domum tuam.* Admonemur ergo vt quamuis infontes, quamuis magno iustitiæ ac pietatis studio præditi, quamuis etiam à sorte impiorum diuersi simus, haudquaquam tamen nostra vel innocentia, vel iustitia & pietate, sed multitudine potiùs diuinæ erga nos bonitatis nitamur.

2. Notemus etiam quid sibi velit, quod non simpliciter dicit, *Ego autem in bonitate tua*: sed, *In multitudine bonitatis tuæ, &c.* Prædicat quidem & extollit non qualemcunque, sed multijugam & amplissimam in Deo bonitatem, quæ reuera nunquam satis extolli prædicarique potest: verum iuxta agnoscit se talem esse, qui non vulgari ad hoc, vt saluetur, opus habeat bonitate Dei: sed in hoc se saluum fore speret, quod Deus non parcet ac leuiter, sed copiosissimè & amplissimè bonus sit. quare satis indicat, quam prorsus nihil propriæ suæ iustitiæ & innocentia tribuat. Quanto magis nos amplissimæ huic bonitati Dei acceptum ferre debemus hodie, quod non prorsus perdimur: vt non simpliciter dicendum nobis sit misericordiam esse Domini, sed amplissimam esse Domini misericordiam, quod non consumimur.

*Adorabo in templo sancto tuo.*] 1. Primùm obserua, quod tabernaculum illud fœderis, exile & humile templum vocat, velut aulam quandam regiam. Ita augusta sunt pijs propter Deum, quæ humilia sunt in

OBS. 4.

OBS. 5.

OBS. 6.

OBS. 7.

sunt in hoc seculo. 2. Deinde nota, quod illud Deo adscribit. *In templo tuo*, inquit. Erat enim tabernaculum illud nomini Dei consecratum. Ostendat mihi quisquam inter Christianos templum, quod nomini Dei sit nuncupatum, & non alicui sanctorum dedicatum. 3. Tertiò expende & hoc, quod templo Dei sanctitatem adscribit. *In templo*, inquit, *sancto tuo*. Sanctum erat, quia ad usum cultus Dei destinatum erat. Talia non sunt delubra sanctorum, nec ea quæ vel idololatriæ vel quæstui sacerdotali seruiunt. 4. Quarto etiam illud considera, quod in hoc se templo Dei oraturum dicit. Respiciebat ad promissionem Dei, qua se in tabernaculo hoc medio filiorum Israël habitaturum pollicitus fuerat. Alioqui non ignorabat, pio homini ubi vis locorum Deum adorare licere. Huius gratia & Christus sacerdotali auaritiæ illud propheticum obiecit: *Domus mea, domus orationis est, &c.* 5. Quinto obserua etiam hoc, quod non simpliciter dicit, *Orabo in templo sancto tuo*: sed, *והשתחוית*: id est, *prosternar & incuruabor*. qua dictione etiam gestum ante faciem Dei sese humiliantis, & suppliciter orantis exprimit.

**OBS. 8.** *In timore tuo.* 1. Primum notemus hoc, quod cultum Dei timoris dictione significat. Deum nunquam ritè colit, qui non vera illius religione ac reuerentia præditus est. Quapropter genus illud sacerdotum, quod cum absq; villo timore Dei peccatis viuat, nihilo tamen fecius Deum se in templis boardo ac missando colere simulat: Deo reuera magis illudit, quàm seruit. 2. Deinde & hoc obseruemus, quod in timore Dei templum ingredi cupit. Hodie pars timore principum, pars amore quæstus, pars ad colendum sanctos delubra ingrediuntur. quotusquisque est, qui timore Dei ductus ecclesiam visitet? 3. Tertiò expendamus etiam illud, quod eum cum timore coluit, quem non modò sciebat summè bonum esse, sed cuius multijuga quoq; bonitate nitebatur. Ità vera pietas & fiduciam diuinæ bonitatis, & reuerentiam maiestatis illius coniungit.

ALTERA PARS PSALMI.

8. *Domine, duc me in iustitia tua, propter inimicos meos: dirige cor me viam tuam.*  
 9. *Quoniam non est in ore eorum rectitudo, intimum eorum prauitates: sepulchrum apertum, guttur eorum, lingua sua blandiuntur.*  
 10. *Disperde eos Deus, cadant à consilijs suis: propter multitudinem transgressionum eorum projice eos, quoniam rebellant contra te.*

**LECTIO.**  
**Verf. 8.** *Duc me in iustitia tua.* Ebræ. *בצדקתך*. Alii ex recentioribus legunt: *Duc me iustitia tua*. Sunt qui legant, *Pro iustitia tua*: quasi scriptum sit *בצדקתך*: id est, *Secundum iustitiam tuam*. Verùm notum est, literam ב prænumerò sumi pro בעבר, vel לבער: id est, *propter*: vt legi possit: *Duc me propter iustitiam propter inimicos meos.* Ebræ. *לבער שרירי*. Græcus legit: *ἕνεκα τῆς ἐξουσίας σου*: id est, *Propter iustitiam tuam*.

Significat autem Ebræa dicitio שרירי & hostem & insidiatorem. Vnde & Hieron. legit: *Propter insidiatores meos*. Recentiores quidem: *Propter aduersarios meos*. Chald. sic: *בגללהי שבתך*: id est, *Propter laudem meam*, vel *propter canticum meum*. Nam שרירי etiam *cecinit* significat.

**Verf. 9.** *Dirige coram me viam tuam.* Ebræ. *הרשך לפני דרכך*. Græcus *καὶ ὁδὸν σου ἐνώπιόν σου τὴν ὁδὸν σου*: id est, *Dirige coram te viam meam*. ad quem modum & Arabs legit: *Dirige coram te vitam meam*. Chaldæus cum Ebræo consenti, sicut & Hieronymus.

*Rectitudo.* Ebræ. *צדקה*. Græcus *ἀνθρώπινα*: id est, *veritas*. Hieron. legit, *Rectum*. Arabs, *Iustum*. Et illud: *In ore eorum*. Ebræ. *בפייהו*: id est, *In ore eius*. Verùm præcedentia & sequentia, pluralem numerum euincunt, quem & interpretes sequuti sunt. Chald. habet: *רשעים בפייהו*: id est, *Quoniam in ore eorum impiorum*. Græcus sic: *ἐν τῷ στόματι αὐτῶν*: id est, *In ore eorum*. Et Arabs: *In ore eorum*.

**Verf. 10.** *Intimum eorum prauitates.* Ebræ. *קרבם חרה*. Græcus sic: *ἐν τῷ ἔσω μέρει αὐτῶν*: id est, *Cor eorum vanum*. Chaldæus: *גופיהו מליין אחריותה*: id est, *Corpora eorum plena iniquitate*. & Arabs, *Cor eorum*, legit: id est, *iniquitas in corde eorum*. Hieron. *Interiora eorum insidia*. *Lingua sua blandiuntur.* Ebræ. *לשונם יהליקון*, quod potest legi: *Lingua suam diuidunt*: vel, *Lingua suam lauiant*. Nam Ebr. verbum *ו* trumque significat.

*Disperde eos.* Ebræ. *האשימם*. Græcus. *ἐκείνην αὐτῶν*: id est, *iudica eos*: sicut & Arabs. Hieron. habet *Condemna eos*. אשם *iniquitatem* significat. Hinc verbum האשימם significat aliquem tanquam iniquum & culpabilem condemnare ac punire.

*Propter multitudinem.* Ebræ. *ברובם*: id est, *In multiudine*. Verùm manifestum est, legendum esse בפרו בעבר: id est, *in, pro propter*. Græcus habet: *κατὰ τὸ πλῆθος*: id est, *secundum multiudinem*. Hieronym. *iuxta multiudinem*. Videntur legisse בפרו ב.

*Quoniam rebellant contra te.* Ebræ. *במרדך*. Alij legunt: *Quoniam exacerbarunt te*: sicut Græcus. Hieron. *Quoniam prouocarunt te*. Hi deducunt verbum Ebræ. *מרד* à *מרר*. Alij legunt: *Quoniam rebellant tibi*. Illi respiciunt ad מרה, quod significat *rebellare*. Est qui legat: *Quoniam prodiderunt te*. Et Felix: *Quoniam defecerunt à te*. Hi sequuntur verbum *מרר* & *מר*, quod significat *mutare*. Græc. addit *λύει*. Lat. *Domine*: sicut & Arabs.

**EXPLANATIO.**  
 Hæc est tertia pars Psalmi, orationem complectens, qua hæc duo petit à Deo Propheta: vnum vt se dirigat & ducat, ne in manus hostium incidat: alterum, vt hostes disperdat: adiecta ratione, cur hoc facere debeat.

**Verf. 8.** *Domine duc me in iustitia tua.* Agnoscit Propheta tam suam imbecillitatem, quàm hostium maliciam & potentiam. Vnde facile colligit, fieri non posse, vt manus eorum euadat, nisi diuinitus ducatur & custodiatur. Confugit itaque precatione hac ad Dominum Deum suum, illique vitam suam commendat, orans vt se ducat & conferuet, cum dicit: *Duc me*: item, *Dirige coram me viam tuam*: hoc est,

Expem.

**A** Expeditam fac mihi viam tuam, qua me ingredi voluisti, in quam tu me duxisti. Intelligit autem Inaugurationem in regnum, ac totam illius dispensationem, cuius nomine adhaeretur.

Deinde addit: *In iustitia tua*: id est, propter iustitiam tuam. Vocat autem hic *iustitiam*, probitatem illam, quam Germani *Frommheit* dicimus. Significat, se respectu probitatis Dei, hanc orandi & impetrandi quoque sumpsisse fiduciam. Quoniam si quis iustitiam hoc loco eam intelligat, qua quod rectum & iustum est defenditur, & iniustum punitur, non aberrauerit a scopo argumenti. Eo sensu intelligemus Dauidem implorare iustitiam Dei contra inimicos suos, qua ipse tanquam innocens custodiatur, illi vero tanquam Deo rebelles disperdantur. Illud, *Propter inimicos meos*, idem est, ac si dicat: Quoniam mihi periculum est ab inimicis meis, qui viam hanc tuam, quam tuo iussu ingressus sum, insidiosis machinis obsident, ac vitae meae exitium struunt.

Quoniam non est in ore eorum rectitudo, Habet hic versus *ἀπολογία*, quare opus habeat Propheta custodia ac ductu Dei, ne in manus inimicorum suorum incidat. Queritur autem eos esse viros fraudulentos & dolosos, qui cum cordibus contra se sint amantissimis, insidiasque lethiferas vitae suae struant, nihilominus blandiufculis verbis linguas suas ad assentandum ac fallendum ita reddiderint instructas, ut impossibile sit maliciam & fraudem eorum euadere, nisi diuinitus custodiatur & conseruetur. *Rectitudinem* vocat hic constantiam ac firmitudinem verborum, quam Graecus non male reddidit, *veritatem*. Est enim rectitudo oris, verborum veritas. Non dicit, *Non loquuntur rectum ac verum*: sed, *Non est veritas in ore eorum*: significans omnia illorum esse falsa ac subdola. Sic nos Germani de vehementer mendacibus dicimus *Es Kompt ihnen kein Wahrheit auß ihrem Maul*.

*Intimum eorum prauitates, sepulchrum apertum guttur eorum*. Quoniam queritur non esse rectitudinem in ore eorum, deinde quod linguis suis blandiantur: hoc est, adulentur, & ad decipiendum assententur, particulam hanc adiecit, qua velut radix mali huius aperitur, ac simul pestifer illius fructus declaratur. Quod dicit, *Intimum eorum prauitates*: hoc est, corda eorum sunt praua: radicem mali notat. Quod vero subdit: *Guttur eorum esse sepulchrum apertum*: de fructu positum est, vel sine huius maliciae. Quasi dicat: Hoc agunt verbis suis, ut innocentes perdant, ita ut guttur eorum sepulchrum iam ad recipiendum mortuum aperto sit simile.

*Disperde eos Deus*. Hoc est alterum orationis membrum, quo contra aduersarios suos orando pergnat. Orat primum, ut a Deo disperdantur ac proiciantur, tanquam iniquitatis condemnati: deinde, ut a consilijs suis cadant. Quod bifariam exponi potest: aut ut re infecta frustrentur coeptis ac studijs suis malis, vel ut consilia eorum in ruinam ipsi vertantur: ut vnde alij foueam pararunt, inde ipsi exitium inueniant: qui sensus mihi magis aridit. Tertio addit petitionis huius causas: *Propter multitudinem, inquit, transgressionum eorum*. Non simpliciter propter *transgressiones*, sed propter *multitudinem transgressionum eorum*. Est autem *עוון* non simplex & qualiscunque, sed malitiosa ac temeraria *transgressio*: vnde & aliquando *rebellio* vocatur, nonnunquam *iniquitas*. Et hoc est, quod addit: *Quoniam rebellant contra te*: id est, contra voluntatem ac verbum tuum. Sicut & Chal. paraphrastes reddidit, dicens: *בבמרד ארנם כדור*: id est, *Quoniam rebellarunt contra verbum tuum*. Intelligit autem de causa regni.

*Domine duc me*. Notandum est hic, quam sibipsum pij nihil in tentationibus tribuant, nec quicquam de industria sua, aut reliquis viribus, consilijs, studijs, &c. praesumant. Qui se ab alio duci petunt, satis aperte fatetur, quam nihil sibipsum tribuat. Duci non est sapientiam, industriorum, fortium, & omnium minime arrogantium, qui magis aliorum ductores videri quam duci volunt. Duci periosum est, & caecorum, & claudorum, & infirmorum, & ignorantium, & ouium. Ducere alios, gloriosum: duci vero, abiectum & contemptum obnoxium. Sed hanc gloriam non curant pij, malentes cum modestia & humilitate saluti suae consulere, quam cum inani gloria periculis eam exponere.

Deinde videmus hic, quod vir pius imbecillitate sua cognita confugiat, cuius ductum & opem imploret. *Domine, inquit, duc me*. Recte. Quis alius est ouiculae ductor, quam ipse pastor? Quis alius tutus ac securus ducere potest, quam cui nota sunt omnia impiorum diuerticula & machinamenta? Quis alius fidei suae concreditum in omnibus tutari, & contra quosuis insultus illaesum conuersare potest, quam qui omnem omnium habet potestatem? Haud itaque immerito ad Deum suum, tanquam vnicum pastorem omniscium & omnipotentem Propheta confugit. Quo nobis exemplo praescribitur, quid in tentationibus & afflictionibus facere debeamus & ipsi. Verum iuxta requiritur, ut nos ductui Dei ita committamus, ut ductiles etiam simus & obtemperantes voci ac verbo eius. Notum est exemplum ouiculae, quomodo illa vocem pastoris sequatur. Vide infra Psalm. 23. & Ioann. 10.

*In iustitia tua*. Notandum & hoc est, quod non suam ipsius iustitiam praetendit, sed ad eam qua Dei est, confugit. Non enim dicit, *In iustitia mea*: vel, *Propter iustitiam meam*. Non in se, sed in Deo reperit, cuius nomine ad eum confugiat. Quod opus habeat alieno ductu, hoc in se reperit: quod autem hunc in Deo quaerit, causam huius non in se, sed in Deo videt.

*Propter inimicos meos*. Quoties in Scripturis de pijs lego, quod inimicos habuerint, partim maliciam seculi huius detestor, in quo reperiuntur qui viros Dei omnium pienssimos, placidissimos & probissimos, nemini noxios, sed quibusuis viles ac beneuolos odio prosequi possunt: partim me ipsum consolor, quod nil mirum sit, si inimicos fortiamur, qui ad eam mensuram dilectionis ac beneuolentiae erga quosuis nondum peruenimus, quae declarata est per Dauidem hunc, & alios consimiles pios, maxime per Christum ipsum, omnium piorum caput & principem.

*Dirige viam tuam coram me*. Tria sunt hic notanda. Vnum quod causam regni, cuius nomine adhaeretur & profligabatur, viam non suam, sed Dei vocat. Admonemur hic, quo loco nobis esse debeat,

Vers. 9.

Vers. 10.

OBSER.  
I.  
Vers. 8.

debeat, si quid à Deo impositum est, quod administrare & exequi debeamus. Cogitare debemus, ambulare nos in via Dei: id quod omnino ad hoc faciet, vt obeunda munera cum timore ac competenti sollicitudine exequamur. 2. Alterum est, quàm non satis sit esse in via Dei constitutum, sed requiratur etiam, vt illa diuinitus dirigatur. Qui in magistratu sunt, in via Dei sunt. Qui Euangelium prædicant, in via Dei sunt. Qui patres familias sunt, in via Dei sunt. Verùm inde non sequitur, nihil esse periculi illis qui in via Dei sunt, ideoq; illis securis esse licere. Hæc cogitatio aliena fuit à Dauide. 3. Tertium est, quæ debeat illis esse fiducia orandi ad Deum, vt se ducat ac dirigat, qui in vijs eius ambulant, & cum Dauide dicere possunt: *Domine dirige viam tuam coram me.* fiducia hæc non competit illis, qui non Dei, sed suas ipsorum vias ingrediuntur. Malè orat qui dicit: *Domine, dirige coram me viam meam.* Variæ sunt mortalium viæ, varia instituta: quæ vt voluntati Dei conformia non sunt, ita ab illo haudquaquam diriguntur.

**OBSER.** Quoniam non est in ore eorum reſtitudo. ] 1. Notemus de hoc versu primùm de mendacio oris, quod duplex illud sit. Non enim mox quoduis mendacium talis est oris obliquitas, qualis hîc à Propheta accusatur. Est mendacium, quando per ignorantiam dicitur, quod verum non est: rursus mendacium est, quando ex carnis infirmitate & metu periculi falsum dicitur: adhuc mendacium est, quando quis alterius commodo dicit, quod verum non est. De nullo horum mendacij genere, sicuti & supra versu. 6. annotaui, loquitur hîc Propheta. Nam huiusmodi mendacia propriè non sunt impiorum: nec talia sunt, vt coram Deo accusari debeant. Pessimum mendacij genus, & planè impiorum est, quando ad perdendum, vel saltem lædendum proximum, per adulationem simulatur amicitia: & virus absconditur, quo incauto paretur fouea. Hoc est quod dicit: *Intimum coram prauitates, sepulchrum apertum guttur eorum, lingua sua blandiuntur.* Tale genus mendacij verè impiorum est, & coram Deo pariter & coram hominibus detestabile. 2. Deinde notemus hîc, quàm difficile sit homini pio, salutem suam in medio talium impiorum & assentatorum tueri. Non simpliciter dicit, *Non est in ore eorum reſtitudo, initium eorum prauitates,* &c. sed, *Quoniam, inquit, non est in ore eorum reſtitudo,* &c. significans ob id se petere, vt à Deo dirigatur, ne in laqueos fraudulentarum linguarum incidat. Sentiebat nimirum, fieri non posse vt illos euaderet, nisi diuinitus adiutus. Ergo periculosissimum est, eo viuere seculo, in quo non simpliciter locum habent linguæ fraudulentæ, sed pleno quoque impetu regnant: quale omnino est nostrum hoc tempus, in quo rarissima est oris reſtitudo: vulgatissima verò, subdola & malitiosa assentatio: vt reuera opus habeant pij, vt & ipsi diuinitus ducantur ac dirigantur. Etenim facilè credunt pro ingenij sinceritate, ideoque illis etiam facilè imponitur: verùm qui & ipsi vulpina præditi sunt astutia, vt non facilè credant, ita non facilè decipiuntur.

3. Tertio notandum est, quomodo hoc versu vtatur Apostolus Rom. 3. vbi sic legimus: *Ostendimus & Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est: Non est iustus, ne vnus quidem: non est, qui intelligat, non est qui Deum requirat, omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui exerceat bonitatem, non est vsque ad vnum. Sepulchrum apertum guttur eorum, lingua sua ad dolum vsi sunt, &c.* Scimus autem, quòd quæcunque lex dicit, his qui in lege sunt dicat, vt omne os obturetur, & obnoxius fiat totus Mundus Deo, propterea quòd ex operibus legis non iustificatur omnis caro in conspectu eius, &c. Colligit ergo Apostolus ex hoc versu, & alijs similibus Scripturæ locis, corruptioem hanc & maliciam ita esse in natura humana, vt ne Iudæi quidem illa sint liberi, quantumuis de lege gloriantur, imò per hanc increpationem legis peccati condemnentur: deinde manifestum reddi, totum Mundum esse peccato obnoxium, id quod ob eam causam arguit, vt doceat omnibus esse gratiam Christi necessariam.

**OBSER.** Disperde eos Deus. item, Projice eos. ] 1. Notandum hîc est primùm, quid mereantur subdoli & fraudulentissimi homines: nempe vt disperdantur, ac projiciantur. Oratio hæc prophetiæ vim habet. Nam hoc illis certò accidit. Deinde à quo debeant vel possint disperdi ac projici tales impij. Non dicit, *Disperdam & projiciam eos:* sed, *Disperde eos Deus.* item, *Projice eos.* Dei est igitur, hoc genus mali tollere, non alicuius hominis: nisi eorum tantùm, quorum ministerio Deus ab hoc vititur, vt tollatur. Humanæ vires per se nihil hîc possunt.

*Cadant à consilijs suis.* ] 2. Obserua hîc, quorum sit hæc fraudulentæ linguæ malitia: eorum videlicet, qui consultando valent, nec temere quicquam, sed omnia cautè moliantur: id quod propriè prudentum est. Non dicit, *Cadant temeritate sua:* sed, *A consilijs suis.* Consilia requirunt animum non stolidum & incautum, sed prudentem, & iudicio valentem. Talis erat Achitophel, qui & ipse in coniuratione erat cum Absalomo: contra quem Dauid ad Deum orasse ac dixisse legitur: *Infatua obsecro Domine consilium Achitophelis.* Ad hunc modum oremus & nos contra prudentum huius seculi vafra, astuta & malitiosa consilia. Deinde expendamus quàm sit iusta petitio, vt suis ipsorum consilijs cadant impij, quib. alijs ruinam struunt, Norunt hoc & Gentium poetæ: *neque enim: ait ille, lex iustior ulla est, Quàm necis artifices arte perire sua.* Et alius ex Gentibus: *Malum consilium, inquit, consultori pessimum. Aequissimum planè, ac iustissimum est, vt in foueam cadat impius, quam alijs aperuit.* Notæ sunt historiæ Goliath, 1. Sam. 17. & Amman, Ester 5. 7. Sic viperæ suo ipsorum fœtu necantur. Huiusmodi iudicium planè diuinum est, & etiam nostro seculo timendum illis, qui propter odium veritatis sanguini innoxio insidiantur, ac perpetuò bella spirant.

*Propter multitudinem transgressionum eorum.* ] 3. Admonemur hoc loco, non esse mox contra quosuis transgressores orandum. Non simpliciter dicit, *Propter transgressiones:* sed, *Propter multitudinem transgressionum eorum.* Notat impiorum temeritatem, qua sine remissione transgressionem transgressionibus iungunt, atque ita iram Dei in se concitant. Quamuis enim pro sua patientia Deus non est ad vindictam pronus: irritatus tamen grauius punit. Quapropter caueamus primùm, in hanc transgressionem.

*Sic Pharisæi ad Christum Matth. 22. Magister, scimus quòd verax sis.*

**OBSER.** III. *Par. 10.*

*2. Sam. 15.*

A gressionum multitudinem infinitam cadamus : deinde discamus hinc, contra quos sit transgressores ad orandum, contra quos non sit.

Quoniam rebellant contra te.] 4. Atqui contra ipsum Davidē rebellabant. Verūm hoc ipsum erat cōtra Deum rebellare, Etenim qui magistratui à Deo constituto resistit, Dei ordinationi resistit. Vide Roman. 13. Notemus etiam hinc, quod non dicit: Quoniam peccant contra te: sed, Quoniam rebellant contra te. Aliud est, contra Deum peccare & aliud rebellare. Peccant, qui non faciunt quod præcipitur. Hoc omnium est etiam piorum. Rebellant, qui ipsam etiam potestatem rejicere conantur. Sic aliud est, non obsequi in omnibus verbo Dei: aliud verò, hæreseos etiam doctrinam & verbum Dei condemnare, & iugum profus excutere. Hoc postremum verè impiorum est, & dignum cuius gratia disperdantur ac projiciantur.

QUARTA PARS PSALMI.

11. Et letabuntur omnes fiduciam habentes in te, in seculum iubilabunt: & proteges eos, & exultabunt in te, diligentes nomen tuum.

12. Quoniam tu benedicis iusto, Domine: beneplacito sicut scuto circumdas eum.

Et letabuntur.] Ebr. וְיִשְׂמְחוּ Græc. οἱ σὺ φραδύηται. Latina vulgata: Et letentur, per formam orandi: sicut & Hieron. & nonnulli recentiores legunt. In seculum iubilabunt.] Ebr. לְעוֹלָם יִרְגְּזוּ. Græcus ἀγαλλιάσονται. Lat. exultabunt. Hier. laudabunt. Et Chal. יִשְׂבְּחוּ. i. e. laudabunt. Arabs, cantabunt. Et proteges.] Græcus: οἱ λαῖ αὐτοῦ ἔσονται ἐν ἀγάπῃ. Lat. Et habitabis in eis: sicut & vulgata habet. Ad Ebr. est וְיִשְׂמְחוּ: id est, & te ges super eos Hier. & proteges eos. Chaldæus וְיִשְׂבְּחוּ: id est, obumbrabis super eos. Diligentes nomen tuum.] Vulgata legit: Omnes qui diligunt nomen tuum: cūm vniuersalis dictio nec in Ebræo sit, nec in Græco, nec Chaldæo, nec in versione Hieron. Arabs cum vulgata legit: Omnes diligentes nomen tuum. Quoniam tu benedicis. Ebræo est בְּרַכָּה תְּבַרַךְ, quod quidam legunt, quod tu benedicis: alij in futuro, benedicis: sicut Græc. & vulgata, & Hieron. Beneplacito sicut scuto.] Ebr. כַּשֵּׁלְטָנִים סָדַדְתָּ אֵת אֲדָמָה. Vulgata, vi scuto voluntatis tua. Hieron. vi scuto placibilitatis. Cald. בְּתַרְסָסָא דְעֵי אֲדָמָה: id est, veluti clypeo bona voluntate.

LECTIO Vers. 11.

Vers. 12.

Circundas eum.] Ebr. הִעֲטַרְתָּ אֹתוֹ. Græc. ἐσφάραξας ἡμάς. Vulgata: Coronasti nos. At Chald. הִחֲבַל לִי גֵידָה: id est, Coronabis eum. Arabs consentit cum Græco: Coronasti nos. Hier. habet: Coronabis eum. Qui legunt, Coronasti nos, legunt בְּרַכָּה תְּבַרַךְ sine dages, quod Nos significat: qui verò legunt, Coronabis eum, illi legunt בְּרַכָּה תְּבַרַךְ cum dages, & præcedentem syllabam cum sægol ad hunc modum, הִעֲטַרְתָּ.

Et letabuntur omnes.] Nihil obscuri habet quarta hæc & postrema Psalmi pars, qua Propheta prædicat, quid commoditatis sit accessurum pijs ex eo, si ipse diuinitus ducatur ac dirigatur, nec in manus impiorum hostium cadat, & hostes contrà disperdantur à consilijs suis, cadant ac projiciantur. Letabuntur, inquit, omnes fiduciam habentes in te: qu. d. Non solum mihi benefacies, si me protegeris, & aduersarios meos tibi rebelles propter multitudinem transgressionum eorum proieceris: sed & in vniuersum omnes eos exhilarabis, qui fiduciam in te collocant, ac nomen tuum diligunt, ubi viderint te rationem habere iustorum, illisq; benedicere, & beneplacito tuo perinde atq; scuto quodam tueri. Quod si cui hic sensus placet, nihil habet difficultatis: nec periculi quicquam fuerit, si eum retineat. Potest autem vndecimus versus etiam sic exponi, vt simpliciter prophetiam habeat, qua constanter Propheta futurum vaticinetur, vt aliquando lætentur, iubilent & exultent pij, fiduciam in Deum ponentes, ac nomen eius diligentes, quantumuis iam malorum improbitate premantur, contristentur & affligantur: cūm contrà impij ac reprobi exultent & insolecant. Et huic sententiæ fauere videtur, quòd immiscetur illud: Et proteges eos: id quod & postremus versus tradit. Nam, inquit: Tu Deus ille es, qui iustum non deserat, sed benedictione tua foueat, & benevolentia singulari perinde atq; scuto quodam complectat. Quapropter omnino futurum est, vt omnes pij, iusti ac fideles in sempiternum gaudeant, iubilent & exultent. Sentient enim opem ac providentiam tuam, videbunt aduersarios & olores nominis tui, homines impios, iusto tuo iudicio dispersi ac projici.

EXPLANATIO.

Et letabuntur omnes fiduciam habentes in te.] Notandus est hic versus de gaudio piorum, de quo sunt ista hoc loco obseruanda. 1. Primum, quàm sit certum, futurum omnino vt pij lætentur, idque omnes. Per affirmationem loquitur Propheta, dicens: Et letabuntur, & iubilabunt, & exultabunt. Et vt hanc certitudinem magis exprimat, non simpliciter dicit, Et letabuntur: sed, Et letabuntur omnes, fiduciam habentes in te. Quid autem ista futuri gaudij asseueratio aliud nobis pollicetur, quàm futurum olim vt pij omnibus liberentur molestijs, & tristitiam præsentis seculi certissimo gaudio commutent: neque ipsa experiantur, quàm non frustra spem suam in Dominum collocarint? Sicut igitur Propheta sui temporis pios per propheticam hanc affirmationem in afflictione consolari voluit: ita sinamus & hodie corda nostra in quacunque tribulatione constituta per hoc recreari, quòd olim pleno ac certo gaudio exhilarandi sumus. Ebræorum 12. de CHRISTO legimus, quòd proposito sibi gaudio sustinuerit crucem. Sequamur hunc vitam ducem & autorem, ne deficiamus in tribulationibus.

OBSER. I. Vers. 11. Esa. 65. Serui mei letabuntur.

2. Deinde notemus hinc, quàm plenum promittatur & exuberans gaudium. Non simpliciter dicit, Letabuntur: sed addit, iubilabunt, & exultabunt. Quibus verbis utiq; non vulgare ac leue, sed præcipuum, grande & effusum gaudium exprimitur. Hac plenitudine & exuberantia gaudij plenitudo & amplitudo felicitatis significatur.

Esa. 68. Ecce serui mei iubilabunt præ exultatione cordis: vos autem, &c.

3. Tertio obseruetur & hoc, quàm non sit piorum gaudium futurum transitorium, breue, & instabile, sed perpetuum. In seculum, inquit, iubilabunt. Certè tale gaudium non potest esse carnale, nec ex terrena aliqua felicitate vel voluptate natum: sed & spiritale sit necesse est, & ex eo natum quod tempo.

temporarium non est, sed sempiternum. Sic CHRISTVS ad discipulos suos dixit: Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

4. Quarto notemus etiam, in quo sit futurum hoc gaudium. *Exultabunt*, inquit, *in te*. Gaudium duplicis est generis. Vnum ex *incurias*: id est, affectu ac sensu priuatae voluptatis vel vtilitatis. Hoc genus gaudij piorum non est, nec de hoc Propheta loquitur. Alterum ex affectu dilectionis est. Et hoc bifariam considerandum venit. Exultamus enim in eo quem amamus iuxta seculum, vel de quo gloriamur secundum carnem, si ille sit vel in rerum prosperitate, vel gloria. Deinde exultant pij in Deo suo, cum quod talem Deum habent, tum quod gloria illius illustratur: vt exultare in DEO, idem sit atq; exultare propter Deum quem diligas. Quinto expendamus etiam, quibus hoc gaudium certum, exuberans, perpetuum, & quod in Deo sit, promittatur. *Et laetabuntur*, inquit, *omnes fiduciam habentes in te*. item: *Exultabunt in te, qui diligunt nomen tuum*. Hi sunt ergo quos Scriptura vocat *חַסִּדִּים* & *אֲהָבָה*: id est, *fiduciam habentes & amantes*, quibus hoc gaudium certo promittitur. Nihil hic nostrae iustitiae, nihil nostris meritis adscribitur. Fiducia in Deum, & amor nominis Dei magis ad DEI bonitatem ac beneficentiam, quam ad nostram iustitiam respiciunt. Nec fides quidem natura sua, nec amor nominis Dei gaudium hoc pariunt: verum quoniam sperantes in se DEVS ac nominis sui amantes deserere non potest, fit vt bonitas ac benevolentia eius, qua suos tuetur, gaudium hoc tandem piorum animis adferat.

OBS. 2.

*Diligentes nomen tuum.* Nominis DEI in Scripturis multa est mentio, ita vt iam vocetur sanctum, iam terribile, iam magnum, iam gloriosum, iam charum & dilectum: sicut hoc loco videmus, vbi pij fiduciam in Deo habentibus datur, quod nomen eius diligant. Ratio huius est, quod Deus ipse talis est & à mortalium etiam mentibus esse sentitur, qui sit sanctus, terribilis, magnus, gloriosus, charus & dilectus, quia bonus, misericors & clemens. Sumus autem ita comparati, vt qualis quisque à nobis existimatur, taliter etiam ad nominis illius mentionem ac recordationem afficiamur. Qui maiestatem ac potentiam regis sui agnoscit, non potest audito illius nomine non sentire aliquem reuerendi illius affectum. Qui tyranni saeuitiam expertus est, vel auditu tantum intellexit, audito tyranni nomine, in animo non nihil consternatur. Qui diaboli metu tenentur, quoties nomen illius audiunt, horrorem quendam in animo concipiunt. Qui mortem horrent, sine horrore mentionem mortis audire nequeunt. Qui patronum habent, vel amicum, vel quemcumque alium, erga quem amoris praediri sunt affectu, suauitatem quandam sentiunt, quoties nomen illius audiunt. Sic sponsa nomen sponsi sui oleum effusum vocat, Canticorum primo. Qui inimicum habet, nomen illius execratur, quoties in aures incurrit. Summa, quid quis de quopiam sentiat, audito illius nomine declarat. Sic erga DEI quoque nomen comparati sumus. Quibus horrore DEVS est, illis etiam nomen illius horrorem incutit. Quibus sanctus, magnus, excelsus ac suspiciendus est, illis & nomen eius sanctum, magnum, excelsum ac suscipiendum est. Quibus illius potentia ac bonitas fiduciam in aduersis generat, illis etiam nomen eius animum addit. Sic illud: Turris fortissima nomen Domini. Quibus charus & dilectus est, illi etiam nomen eius diligunt: & quod diligunt, cupide audiunt. Quoties ergo quisque de Deo sentiat, in nomine illius declaratur. Affectus cordis, reuerentia, timor, horror, fiducia, dilectio, secreti sunt & abdit: verum vbi mentio fit nominis DEI, vbi sub nomine Dei vel doctrina, vel praecipium, vel redargutio, vel consolatio, vel promissio, vel comminatio ex verbo illius proponitur, tum reuera periculum fieri potest, & experimentum capi, quid quisque de Deo sentiat.

*Exultabunt*, inquit, *in te, diligentes nomen tuum*. Fidelis seruus, & zelo gloriae Domini sui praeditus, ex animo gaudet, quoties nomen Domini sui glorificatur. Sic animati sunt pij, qui nomen Dei sui diligunt. Lugent ac merent, quoties gloria DEI obscuratur: rursus exultant, quoties illa illustratur. Quare? Quia diligunt illius nomen. Quare hoc diligunt? Quia videlicet ipsum Deum diligunt. Nota haec pij animi omnium est certissima.

OBS. 3.  
Vers. 12.

*Quoniam tu benedixisti iusto Domine.* Primum notemus hoc versu, quibus nominibus pios appelleret. Praecedenti versu vocauit eos *fidentes*, deinde *diligentes*: hoc postremo vocat eos *iustos*: i. e. *חַסִּדִּים*. Quid sit esse iustum, dictum est supra Pl. 1. versu 5. Quod ad praesentem locum attinet, obseruandum est, qui tandem sint verè iusti, & vnde iusti reddamur. Praemisit fidem ac dilectionem erga DEVM, ac tum subiecit iustitiam. Significat nobis Spiritus S. iustitiam esse ex fide & dilectione DEI. Loquor autem hic non de iustitia impurata per gratiam, sed ea quae cordis est, ex generatione. Fide ac dilectione pulchre Deo coniungimur & adunamur: hac iustitia beneuoli ac benefici erga homines reddimur. Non potest iustus esse: id est, probus, benignus ac beneficus erga homines, qui nondum est Deo fide ac dilectione coniunctus. Omne bonum defursum est. Iustitia haec, bonum est. Defursum sit ergo ex fonte caelestis bonitatis, necesse est. Qui alienus est ab hoc bonorum omnium fonte, vnde accipiet iustitiam qua erga mortales vratur? Alienus autem est à summo bono, omnis infidelis, incredulus, & dilectione Dei destitutus. Ergo, &c.

2. Deinde, notandum etiam est hoc versu, beneficium diuinae beneuolentiae erga iustos esse generatum. Primum est benedictionis: *Quoniam*, inquit, *tu benedixisti iusto Domine*. Benedicere Deum, non est verbis vel bene precari, vel laudare, & gratias agere: quod vtrumque est si homo benedicit: sed factis benefacere, & omnis generis bona cumulare. Gen. 49. Omnipotens, inquit, benedicit tibi benedictionibus caeli. Et Ephes. 1. Benedixit nos in omni benedictione caelesti, &c. Alterum est protectionis. *Beneplacito*, inquit, *sicut scuto circumdas eum*. Item, *Et proteges eos*: contra quasuis videlicet insidias & afflictiones. Quibus verbis iucundissimam hanc paternae beneuolentiae partem metaphoris protegendis scuti, & circumdandi: velut ob oculos exponit Propheta. Quid ergo ad plenam noterit

**A** poterit in DEO desiderari felicitatem, cum suis & benedictionibus inestimabilibus cumulet, & contra omnis generis aduersarios protegat.

3. Tertio. Expendamus & hoc, quod dicit: *Beneplacito sicut scuto circumdas eum.* Poterat dicere: *Potentia tua sicut scuto circumdas eum.* Ad protegendum quippe afflictos requiritur potentia: unde & qui infirmiores sunt, fortiorum se protectioni submittant. Verum maluit Spiritus S. protectionis beneficium beneplacito ac beneuolentiae DEI adscribere, quam potentiae, propter confirmandas imbecillium mentes. Primum enim ita comparata est magnorum principum beneuolentia, ut potentiae viribus, quasi ministris ad defendendum eos quos complectitur utatur. Trahit post se beneuolentia potentiam, & omnia quae ad potentiam pertinent: potentia vero non vicissim beneuolentiam. Beneuolentia intus in corde est, & velut ipsa mens boni principis, potentia vero in externis consistit: ut merito beneuolentiae sit ministra, illamque, velut heram sequatur. Deinde potentia Dei, quoniam innumeris argumentis mortalium oculis affulget, ita nota est omnibus ut de ea ne impij quidem dubitare possint: de beneuolentia vero illius erga se non ita persuasum est omnibus, sed fides huius electorum tantum est, in quibus tamen miris modis & innumeris tentationibus, praesertim in afflictionibus, ita impetitur, ut necesse habeat diuini verbi veluti fulcris sustentari & erigi. Ad hunc itaque usum respexit hoc loco Spiritus sanctus in eo quod dixit, *Potentia velut scuto: sed, Beneplacito velut scuto circumdas eum:* ut persuadeat fidelibus ac diligentibus nomen Dei, quod non simpliciter accepti sint Deo, sed & beneplacito illius plane cincti, ne qua parte perdi queant.

PSALMVS VI.

AD PRÆCINENDVM INSTRUMENTIS MV-

SICIS SVPER OCTAVA, PSAL-

mus Dauid.

**I**llud, super octava, Kimhi intelligit de instrumento musico, quod Chaldaeus Pharaphrastes reddidit *בגדי המוזיקה* id est, super ci hara octo chordarum.

ARGVMENTVM PSALMI.

Apparet Dauidem magno aliquo & periculoso morbo liberatum, Psalmum hunc ob eam composuisse causam, ut documento sit p̄is mentibus, quomodo se in huiusmodi grauib. angustijs ac periculis gerere, quoque conuertere debeant. Hac ratione dolorem suum, luctum, eiulatum, querelas, deprecationes, & orationes, totum videlicet astum cordis sui, quem morbo deprehensus ad Deum effuderat, breuiter hoc Psalmo & luculenter exprimit, ut suo nos exemplo ad percutientem nos Deum conuertere, & omnem animi tristitiam & angustiam in illius conspectum eiulando, querendo & orando effudere doceat.

Dispositio Psalmi.

**B** Bipartitus est autem hic Psalmus. Prior illius pars septem prioribus versibus continetur, quibus iram Dei deprecatur, misericordiam & sanitatem expetit, de corporis sui infirmitate & animae perturbatione queritur, &c. Posteriore parte tribus postremis versibus, de exaudita oratione sua contra inimicos mortem suam auidè expectantes, cum insultatione quadam gloriatur.

PRIMA PARS.

*Domine, ne in furore tuo corripias me, neque in ira tua castiges me.*

VERS. I.



Nihil habet hic versus varietatis in lectione. Prior Psalmi pars bimestris est, Praesenti hoc versu Propheta iram & furorem Dei deprecatur, sequentibus sex misericordiam & opem, qua sanetur, implorat. Domine, inquit, ne in furore tuo corripias me, neque in ira tua castiges me. Rem eandem ingeminando bis dicit. Nihil enim aliud est corripere, quam castigare: nec ira hic à furore differt. Ebr. נַסַּם nasum significat. נִרְדַּן vero incandescendi significationem habet. Quoniam igitur ira & furor calorem quandam ex motione sanguinis generant, & flatum vehemente in e naribus commotionis & inflammationis indicem eiciunt, fit ut utraque dictiones de ira & furore sumantur in Scripturis. Loquitur ergo Propheta humano more ad Deum, iramque & furorem illius deprecatur, quasi dicat: Sentio Domine vim & impetum in me irae tuae, experior grauitatem intolerabilem manus tuae, quam peccatis meis in te concitavi: verberas me Domine, & flagellas acriter, ita ut nisi remittas plagam, nihil mihi restet aliud, quam ut extinguar. Obsecro ne prorsus in me exandescas, nec iratus in seruum tuum sauias: sed iram hanc tuam, quam mea ipse culpa exasperavi, & in me concitavi, remittas. Talis videtur esse primi huius versus affectus in quo perspicuum est, sensisse Prophetam, inferendam iram Dei grauitatem: quo sensu non immerito cum primis in hanc iram Dei deprecationem proruperit.

Principio notandum est hoc versu, quomodo Propheta morbum quo laborat, à Deo immissum esse cognouerit. Non enim dicit, Domine, grauius crucior: sed, Domine ne corripias me in furore tuo. Quibus utique verbis fatetur, corripisse, & castigari à Deo irato: & morbum suum esse flagellum Domini. Impiorum hominum est, nec bona quibus potiuntur in hoc seculo, nec mala quibus percutiuntur, ad Deum, ut omnium bonorum largitorem, ita & mortalium omnium castigatorem ac iudicem, sed aliud referre. Unde fit, ut nec beneficijs ad gratiarum actionem, nec pressuris ad emendationem promoveantur. Discamus ergo cum Dauide hoc, & Iobo, agnoscere manum Dei non modò in laetis, sed & tristibus.

OBSER. I.

Deinde obseruemus hic, quod afflictionem qua in morbo suo permebatur, & à Deo immissam esse

OBS. 2.

*Notandum est quod non dicit, Ne corripias me: sed, Ne in ira corripias me. Correctione non deprecatur, sed iram.*

**OBS. 3.**

*Quam grauis ira Dei.*

**OBS. 4.**

esse sentiebat, vocat correptione & castigationem. Sentit se corripere & emendari diuinitus, ideoque intelligit simul visitari peccata sua merito flagello. Ad hunc modum admoneamur & nos peccatorum nostrorum, quoties à Domino flagellamur. Sic ad paralyticum dicebat Dominus Matt. 9. B. non animo esto fili, remittuntur tibi peccata tua. Et Ioan. 5. Iam sanus factus es, vide ne pecces amplius. Est autem correptionis & castigationis finis, emendatio & respicientia. Quare obseruandus est hac in re paternus erga nos affectus in Deo, quo nos, sicut Apost. 1. Corint. 11. meminit, in hoc seculo corripit, ne postea cum hoc Mundo damnemur. Vide etiam Ebr. 12. quomodo Deus ad exemplum prouidi patris flagellet omnem filium quem suscipit.

Tertio, notemus hic ingenium tribulatum, etiam filiorum Dei. Quæ Dauidi Deus acerba infixit, non eo animo infixit, ut eum profus ira percitus perderet, sed ut illi potius paterno beneficio prodesset. Sed in ipsis animi angustijs consiliū hoc Dei non vidit Dauid, sed pro carnis suæ sensu iratū in se Deum scire putauit. vnde & exclamauit, dicens: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Sic solent pij in tentationib. iræ Dei sensum, pro carnis ingenio summa cum anxietate concipere: cum tamen interea Deus nec furore, nec ira, more humano, excædescat, sed suos certa ac paterna prouidētia castiget. Sic aliquoties quæritur se Dauid derelictum esse à Deo, Deum esse procul, proiectum esse se à facie Dei. & Christus in cruce: *Deus meus, inquit, Deus meus, quare dereliquisti me?* cum tamen Deus suos nec deserat, nec procul ab illis sit, nec eos à se projiciat, sed exactissimè custodiat, & inter corripendum etiam illis quam maximè præstō sit. Quam grauis autem sit & intolerabilis iræ diuinæ sensus, nemo intelligit, nisi soli experti: quemadmodum vicissim incredibilem illam diuinæ bonitatis suauitatem nemo nouit, nisi animus qui post insignem eam tribulationem viuaciter expertus. Est verò sensus iræ Dei bifariam grauis. Vno modo pijs mentibus non solum propter supplicij ac perditionis metum, sed multo magis propter læsam charitatem ac benevolentiam paternam: altero modo propter angustiam ex metu mortis vel gehennæ, aut alterius cuiuspiam supplicij conceptā. Vterque modus grauis est: grauiorem autem in mentib. piorum priorē esse constat, qui quanto plus Deum diligunt, tanto magis sensu iræ eius cruciantur. Est autē hic sensus iræ Dei in tribulationib. omnium vtilissimus pijs non solum quod per illum ad respicientiam cogimur, sed & ob eam causam, quod post illum sensus diuinæ benevolentie redditur omnium suauissimus. Non frustra est igitur, quod more prudentis patris Deus amorē suum erga nos non nunquam occultit, & nescio quam austeritatem præterit. Ita sumus comparati, ut non profit nobis perpetuus charitatis Dei sensus (loquor de imbecillib. & imperfectis) sed satius sit subinde sensum indignantis Dei experiri: cuius rei moderationem ipse benignissimus pater, pro sua prudentia ita dispensat, ut filij eius nec securitate corrumpantur, nec desperatione profus frangantur.

Quarto loco obseruemus & illud, quod Propheta, quamuis grauissimo iræ Dei sensu torqueatur, nihilo tamen minus nusquam se nisi ad eum ipsum conuertit, cuius iram sentire se iudicabat: nullibi auxilium & opem quærit, nisi apud eum ipsum à quo percutiebatur. Grauiissimum est hoc cogitatum, nedum factum: & tamen ita fieri oportet, & vix nobis, si percutientem nos aduersari fuerimus. Sperandum hic est contra spem, & impossibilia carnis nostræ sensui tentanda. Facile est ad Deum à facie iræ humanæ confugere: Deo autem ipso irascente, maxima oritur inter spem & desperationem concertatio, ita ut difficilimum sit irati Dei opem implorare, & non sentiat, etiam si exaudiat Deus, dicaturque cum Iob, cap. 9. Etiam si exaudiat, non credo quod audierit vocem meam. Magnum est hac in re piorum & impiorum discrimen. Impij reb. prosperis multi sunt in orationib. ita ut pij dum prosperè habent, illis collati, repidissimi videantur. In aduersis verò, vbi Deum iratum sentiant, ad creaturas confugiunt, Deum verò auersantur. Carent enim vera fide, nec vnquam Deum verè cognouerunt. Pij verò, etiam si rebus prosperis non nihil somnolentiæ ac negligentie in orationib. ostendunt, in aduersis tamen expurgiscuntur: & licet iram Dei sentiant, ad eum tamen ipsum euilando, querendo, & precando conuertuntur. Perniciosum est & culpabile, si rebus prosperis ad Deum non conuertamur: impietatis verò indicium habet, si ne tristibus quidem ad eum pertrahamur, sicuti de Israele, Esa. cap. 9 & historia sacra de rege Afa, 2. Paral. 16. conuenitur. Ex his obseruationibus facile apparet, quæ sit vtilitas paternæ correptionis, si illam patienter feramus.

2. *Miserere mei Domine, quoniam morbo confectus sum: sana me Domine quoniam tremefacta sunt ossa mea.*
3. *Et anima mea tremefacta est valde: & tu Domine, usquequò?*
4. *Reuertere Domine, eripe animam meam: serua me propter bonitatem tuam.*
5. *Quoniam in morte non est tui memoria: in fouea quis te laudabit?*
6. *Fatigor suspirijs meis, inundo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum tabefacio.*
7. *Contabuit oculus meus præ indignatione: inueterauit inter omnes inimicos meos*

**LECTIO.** Propter bonitatem tuam. ] Ebr. *לְרַחֵם*. Græc. *ἐκ τῆς ἐλεῖσός σου*: id est, Propter misericordiam tuam. Et

**Vers. 4.**

Arabs cum Græco vertit. Chald. legit *בְּגִלְלֵי דְבִרְתֵּיךָ*: id est, Propter mundiciam tuam. Hier. consentit cum Græco.

**Vers. 5.**

Tui memoria. ] Ebr. *זִכְרֵךְ*. Græc. *ἡ μνήμη σου*. e. Memor tui. Videtur legisse *זִכְרֵךְ*. Arabs quoque legit, *Qui recordetur tui.* Hier. Recordatio tui.

In fouea. ] Ebr. *בְּשֵׂאֵל*. Græc. *ἐν τῇ ἀβύσσῳ*. e. in inferno. Sic legit & Hieron.

Quis te laudabit? ] Ebr. *מִי יִשְׁתַּחֲוֶה לָּךְ*. Græc. *τίς ἐξομολογήσεται σοί*: id est, Quis confitebitur tibi? Arabs: *Quis laudabit te?*

Fatis

Fatigor. ] Ebr. אָרַבְתִּי. Græc. ἀνοήτα: i. e. Fatigatus sum, laboravi.

Inundo. ] Ebr. אָרַבְתִּי. Græc. ἄβω: i. e. Lauabo. Hier. Natate faciam. Aliqui: Natabilem reddam. Chald. sic, אָרַבְתִּי: i. e. Loquar in dolore meo. וַרְוַנִּימִן significat, Meditatus est, oravit, &c.

Vers. 6.

Tabefacio. ] Ebr. אָרַבְתִּי. Græc. βεβήω: id est, Rigabo. Sic & Hieron. Chald. אָרַבְתִּי: id est, Dissipabo. Alij

Liquefaciam.

Contabuit oculus meus. ] Ebr. אָרַבְתִּי. Græc. ἐταράχθη: i. e. Turbatus est. Chald. אָרַבְתִּי: id est, Colligauit. Sic & Hieron.

Vers. 7.

Inueterauit inter omnes inimicos meos. ] Ebraeus אָרַבְתִּי בְּכָל־אֹיְבֵי־יָמַי. Græc. ἠπαλαιώθη ἐν πάσαις τῆς ἐχθρῶν μου: Inueterauit inter omnes inimicos meos. Chald. אָרַבְתִּי בְּכָל־אֹיְבֵי־יָמַי: id est, Consumebatur in omni molestatione mea. Hier. Consumptus sum ab vniuersis hostibus meis.

EXPLANATIO.

Hic sex versib. duo facit Propheta: i. primum post deprecationem iræ & furoris Dei, gratiam & opem illius implorat: Misere mei, inquit, Domine: deinde, Sana me Domine. Et versu 4. Reuertere Domine, eripe animam meam. Sentiebat iram Dei, ideoq; gratiam petit: permebatur morbo, ob eam causam petit sanari. Videbatur Deus auersus, orat igitur vt reuertatur: sentiebat mor. is angustiam, ideo dicit: Eripe animam meam, & serua me, à mortis videlicet periculo. His particulis comprehenditur Prophetae petitio, qua pro gratia, sanitate, conuersione Dei & conseruatione vitæ orat.

2. Deinde adiungit argumenta fiduciæ, quibus spem impetrandi gratiam, sanitatem, conuersionem, & liberationem à morte in corde suo inter orandum confirmauerit. Quædam à magnitudine partim morbi & doloris, partim horroris qui ex metu mortis est, desumpta sunt: vt pote cum dicit: Quoniam morbo confectus sum. Et, Quoniam tremefacta sunt ossa mea, & anima mea tremefacta est valde. Magnitudinem morbi, & vehementiam doloris, deinde & mortis metum ac pauorem his verbis exprimit. vnde non solum caro infirma illa & mollis, sed & ossa quantumuis robusta: deinde non ossa mea modò, sed & ipsa anima tremoreim, concussionem ac terrorem sensit: sicut in vehementib. morbis & angorib. fieri solet. Quædam verò sumpta sunt à diurnitate tentationis, qua videbatur à Deo desertus. Vt cum dicit: Et tu Domine vsque quòd? fac: aut ista ad commiserationem.

3. Nonnulla respectu Dei vsurpata sunt, vt pote quòd bonus sit: Propter bonitatem tuam, inquit.

4. Quarto loco, nata sunt quædam ex ea consideratione, quòd non tam mors quàm vita hominis ad gloriam ac laudem DEI facit: Quoniam, inquit, in morte non est tui memoria: in fouea qui te laudabit? Q. d. Quomodo bonitatem ac gloriam nominis tui deprædicabo mortuus? Quomodo laudabo te sepultus? Quis recordabitur tui mortuus? Quis laudabit te in fouea constitutus? Igitur vel gloriæ ac laudis tuæ respectu eripe animam meam, & serua me. Tale quid ac pluribus habetur infra Psalm. 88. versu 10. 11. & 12.

B 5. Quintò, vers. 6. & 7. intentissimum quendam æstum animi, inimicorum maleuolentiam & improbilissimam spem de morte sua conceptam grauissimè detestantis exprimit, cum dicit: Fatigor suspirijs meis, &c. Significat te singulis noctibus vberimis gemitib. & lachrymis, ita clementiam Domini contra spem inimicorum suorum pro retinenda vita orasse, vt fatigatus sit suspirando, & lectu suum lachrymis inundarit ac tabefecerit, & aspectus ipsius præ nimio fletu & indignatione contra inimicos mente concepta contabuerit & inueterauerit. Sic enim vsuuenire solet illis qui crebrò il. lachrymantur, ac suspirant, vt facie reddantur plânè deformi, lugubri, ac lurida. Non est enim aliqua humani corporis pars, quæ vel lætitiæ vel tristitiæ indicia citius & manifestius exprimat, atq; ipse vultus, præsertim circa oculos. Sciebat sanctus vir, quàm inuisus esset impijs quibusdam aulicis suis, & quàm illi cupidi essent mortis suæ, vt post illam licenter & pro arbitrio cuncta gererent, & studium gloriæ Dei pessundarent. Hæc consideratio non minima erat doloris huius portio. His itaq; argumētis Propheta ad hoc est inter orandum vsus, vt animum mortuum ac deiectum fiducia impetrandæ gratiæ Dei, sanitatis, ac liberationis è morte non nihil erigeret.

Miserere mei Domine. ] 1. Notandum hic est, quòd in miseria & calamitate constitutus, & opem DEI imploraturus, præmittit dicens: Miserere mei Domine. Hoc enim obtento, sequuntur reliqua omnia, quæ rectè peti possunt. Quid enim impetrari ab eo non potest, qui misereri cœpit? Misericordia Dei vnicum est omnium afflictorum refugium, & fons quidam omnium eorum, quæ à miseris peti possunt.

OBSER. I.

2. Sed huius imploratio cum primis exigit, vt credas Deum propensum esse ad misericordiam. Sine hac fide nemo rectè dicit: Miserere mei Domine. Ergo Propheta, quamuis sensu iræ ac furoris Dei tactus esset, nihilo tamen minus fidem misericordiæ Dei nondum abiecerat. Res mira. Non possunt simul consistere ira & misericordiæ: & tamen vir Dei, cum iram Dei in carne & anima sua sentiat, nihilo tamen minus credit eum esse misericordem. Discimus & nos, in ipso iræ Dei sensu fidem hanc misericordiæ Dei non abijcere, sed illa potissimum vti: præsertim cum absq; vlla contradictione verum sit, magis esse Deo proprium misereri pro sua bonitate, quàm irasci pro sua iustitia.

3. Crederem, inquit, esse eum misericordem, & implorarem illius misericordiam, nisi impediret conscientia peccatorum. At ob id ipsum debemus confugere ad misericordiam illius. Sensit & Dauid castigari & argui se propter peccata quæ commiserat: & tamen postquam dixerat: Domine ne in furore tuo corripas me, neque in ira tua corripas me; subiungit: Miserere mei Domine. Qui sine peccatis est, dicat: Ne facias mihi iniuriam Domine, flagellum & iram non promerui: qui verò peccatorum conscientia premitur, dicat & clamet ex animo: Miserere mei Domine. Si hoc rectè dicit, certè opus est, vt primum credat, Deum peccatoribus quoque non denegare misericordiam. Alioqui qua fide dicit: Miserere mei Domine?

Quoniam morbo confectus sum. ] Notemus hoc argumentum impetrandæ misericordiæ. Miserere mei Domine,

OBS. 2.

*Domine, inquit, Quare? Quæ est miseria illa, cuius Dominus misereri debeat? Quoniam, inquit, morbo confectus sum. Ergo sentit miserum esse, morbo confici: nec modò in se miserum esse, sed & miserabile: idq; non hominib; modò, verum etiam ipsi Deo. Est itaq;, sanum esse, pars felicitatis, ac pro dono DEI habendum, si infirmum esse, miserum est ac miserabile. Sed quotusquisq; est, qui sanitatis bonum, dum adest, rectè & cum gratiarum actione agnoscat? Nos Germani dicimus, *Gesundheit* ist *vber Silber vnd Gold*. Sed hoc bonum pauperib; non minus à Deo datur, quàm diuitibus: imò plerunq; fieri videmus, vt pauperes hinc diuitib; sint feliciores. Deinde cogitemus, quæ sit illorum hominum *væsanía*, qui per gulam & intemperantiam seipos dono sanitatis priuant, & varijs morbis obnoxios reddunt. Tertio expendamus & hoc, si ægrotum esse etiam coram Deo miserabile est, in quem tamen nulli morbi cadere possunt: quanto magis nobis qui homines sumus, & quorumcunq; morborum capaces, commiserationis iste affectus inesse conueniat, vt quæuis humana miseria cuius sit homini, vt homini, nedum vt pio & Christiano miserabilis? Quomodo alioqui misericordiam DEI, respectu infirmitatis humanæ, implorabunt hi, qui cum ipsi homines sint, nullo tamen sunt misericordie affectu erga homines ægrotos & infirmos præditi?*

OBS. 3.

*Sana me Domine.* Rectè post misericordie implorationem dicit: *Sana me Domine*. primùm, quòd sanare ægrotum opus sit misericordie, quæ nequit esse otiosa: sed ad hoc prona est, vt miseriam cuius miseretur, pro viribus vel auferat, vel temperet ac mitiget. Qui miseretur esurientis, confectum huc permouetur, vt famem cibando auferat, siquidem id præstare poterit. Sic qui ægroti miseretur, si id possit, mox sanitatem conferret. Deinde quòd sanare solius est miserentis Dei opus. Non dubito, Propheam externam quoq; medendi corporis sui curam & medicinam admisisse: verùm ita, vt sicut hoc loco videmus virtutem illam sanationis à Deo petierit. Nihil est enim omnis medicorum ars & opera, cura & diligentia, nisi Deus virtute sua det sanandi efficaciam.

Sed quare non dicit, *Auge Domine morbum ac dolores meos*, sicuti pleriq; ab ægrotis, modò velint pij videri exigendum esse pu. ant. sed, *Sana me Domine*? Si voluntas Dei est, vt ægrotus sim, si etiam ad salutem meam conducit vt castiger, quomodo conueniet, vt & contra voluntatem Dei, & salutis meæ rationem dicam: *Sana me Domine*? Ergo vox ista Dauidis talis est, quæ pio homini, diuinæq; voluntatis ac salutis suæ rationem habenti, conuenire nequeat. Absit. Est quidem vox ista, *Sana me Domine*, vox carnis, quæ pro sua natura ad sanitatem adspirat, & è morbo liberari cupit: verùm interea corà Deo haud quaquam impia, qui hoc carni naturaliter dedit, vt sanitatem: i. e. sui conseruationem, cupidè petat: id quod non est sine certa ratione, non homini modò, sed & vniuersis inditum animantibus. Deinde pijs hanc naturam fides non adimit, sed dirigit, ita vt carni sanitatem petenti non permittat aliunde illam querere, quàm ab ipso vniuersæ carnis conditore ac conseruatore, nec sinat eam aliter petere quàm pro bonitate, gratia & voluntate DEI: non ita vt de vera salute periclitetur, sed vt per emendationem vitæ ac resipiscenciam ad illam contendat, cum sciat ob id percuti carnem, vt ad resipiscenciam ducatur: non simpliciter ob id, quòd sine morbis corporis nequeat humanæ salutis constare ratio. Quapropter nec contra voluntatem Dei est hæc vox carnis in pijs, nec contra veræ salutis rationem præsumpta: sed ita quidem ex naturæ deprompta ingenio, vt tamen veræ fidei ornamento non sit destituta.

OBS. 4.

*Quoniam tremefacta sunt ossa mea, & anima mea, &c.* Duæ sunt hominis partes, anima & corpus. Anima potior in homine, ossa robustior in corpore sunt portio. Tremunt hic anima, tremunt ossa. Vtrinque premit: mortis angustia. Vim huius sentit totus homo, constans ex anima & corpore. Quid enim tranquillè est amplius in homine, in quo contremiscunt & ossa & anima? Seruiat hoc animis infirmis, ne Deum Stoicam *ἀνάδνα* à suis exigere putent.

Deinde consideremus mirabilem istam animæ & carnis coniunctionem. Alia est animæ, alia carnis conditio. Anima immortalis, caro verò mortalis est. Imò nisi sit anima, non est vlla carni vitæ communicatio. Viuificatur caro per animæ infusionem & coniunctionem, mortificatur per illius extinctionem. Interea tamen animæ, cum à carne separatur vita, non adimitur, cum sit immortalis: imò si rectè reputes, multis & varijs molestijs ea separatione liberatur. Quid ergo causæ est, quòd per mortis metum & horrorem non solùm caro, & quæ in carne sunt ossa, tantopere perturbantur: sed & ipsa anima, in quam mors illa corporalis cadere non potest, tremore ac terrore concutitur? Quid sibi metuit anima in ea re, quæ ad ipsam vsq; pertingere nequit? Rursus vnde habent ossa in carne sensum hunc, ac metum mortis, eumq; tantum, vt contremiscant, cum illis nec intellectus insit, nec voluntas, sicut animæ? Mirabilis reuera est iste carnis & animæ cōsensus, naturaliter ex mutua coniunctione conceptus: qui vtriusq; si à se inuicem separatæ esset, prorsus abesset. Quòd ossa in carne mortis metu contremiscunt, habent ex anima: quòd anima perterrefit, habet ex carnis coniunctione. Tantum valet coniunctio ista, tantum potest vnitas ex hac coniunctione, vt res natura diuersæ, non modò coalescant, sed & mutuum in omnib; & concordem habeant consensum. Agnoscamus hac in re admirabilem Dei sapientiam in nobis ipsis, qua factum est, vt lugente spiritu, exsiccentur ossa: rursus periclitante corpore turbetur spiritus: qui consensus ad opificij huius conseruationem diuinitus est datus. Deinde sumamus hinc exemplum, quis debeat inter virum & uxorem suam, inter ciues, inter Christianos communiter omnes esse consensus.

OBS. 5.

*Et tu Domine vsquequò?* Non dicit, *Et tu dolor, tu cruciatus, tu tremor ossium & anima vsquequò?* sed, *Tu Domine vsquequò?* Omnino significat, se iam dudum respexisse, suspirasse, vociferatumque esse ad Dominum, & ab illo morbi huius sperasse releuationem. Significat etiam, in ea se iam constitutum esse tē-tatione, vt suspicetur Dominum nolle vllam opē adferre periclitanti, aut certe parum de adferendo auxilio cogitare, eò quòd ad extrema vsq; periclitantē deserat, nec vllis ad succurrendū gemitibus, lachrymis,

**A** lachrymis, & implorationibus perimouetur. Et tamen ab orando & implorando non desistit. Videmus hic luctam carnis ac fidei, fides suspirat ad Dominum, quamuis ille videatur admodum iratus & auersus: caro timet interitum, nec sentit aliud quam iam iam ingruentem vitæ terminum, ita ut quoduis momentum anni putet æquare spacium. Sint & ista propter infirmas mentes notata, ut hisce sese exemplis solentur & confirmant.

*Reuertere Domine.* Ergo ab eo auersus discesserat? Ita videbatur. Sed vnde & quò discedere potest, qui vbiq; præsens est? Discessus hic non fit loci, sed dispensationis variatione. Videtur adesse, cum res nostras nostro iudicio ac sensu prosperè ac feliciter dispensat, discessisse, cum res premunit aduersæ. Iudicabat itaq; Deum iratum à se discessisse, vbi mortis metu terrebatur, & toties opem eius frustra implorabat, ideoq; orat, ut ad se redeat: hoc est, ut ira remissa beneuoluntate ac seruatore declararet. Certè qui sic sentit, fateatur antea adfuisse sibi Dominum, ac sese beneuolum ac clementem exhibuisse: sed iam peccatis suis offensum, auersum esse, ac discessisse. Significat etiam, pereundum esse, nisi ille propitijs ad se redeat. Cogitemus itaque, quanta cum gratiarum actione, præsentiam & opem Dei agnoscere, & quàm totis animis ab illo pendere debeamus.

Deinde & hoc notemus, quòd iam quinquies dictionem hanc, *Domine*, repetit: qua in re satis innuitur, quanta sit pij animi erga Dominum fiducia: & quanta nominis Dei suauitas, etiam in medijs aduersis, imò in ipso mortis horrore, in animo credentis sentiat.

*Eripe animam meam, & serua me.* Notemus & hanc vocem. Respicit enim hominem præsentis huius vitæ in speciem plus æquo cupidum: ac talis esse videtur, quæ viro spirituali iudicio & affectu prædito, parùm bene conueniat. Primam, *Eripe*, inquit, *animam meam*: è mortis videlicet periculo. Amat igitur David præsentem hanc vitam, dum animam suam in corpore diutiùs retinere cupit. Deinde, quomodo eripitur anima morti, cum tamen capi ab illa nequeat? ad hæc, captiua magis sit, donec in corpore hoc mortali quasi ergastulo quodam detinetur, quàm dum ex illo liberatur: ut verius eripi dici queat, cum morte intercedente corpori eximitur, quàm dum in illo retinetur. Tertiò, quid est quod dicit: *Et serua me*. An sentit sibi pereundum esse, si anima è corpore auferatur? Atqui nihil perit pio, si in Domino moriatur. Vides quomodo hæc vox in speciem hominis videatur, & vitam hanc carnis impensius amplexi, & de sui animæque suæ vera ereptione ac conseruatione non bene sentientis? Verùm, sicut & supra monui, vox hæc carnis quidem est, quæ hoc à Deo accepit, ut sit vitæ suæ anans: qua in re peccat, adiunctam tamen habet veram erga Deum fidem: quæ inuocatione declaratur, Deoque hanc gloriam tribuit, quòd sit ipse verus & vnicus ereptor & conseruator, vitæq; ac necis Dominus. At spiritus iudicium ac desiderium aliter comparatum est in pijs. Cupit ille liberari & eripi è corpore, vanitati ac corruptioni subiecto, scitq; nec se, nec corpus mortis intercessione periturum.

*Propter bonitatem tuam.* Quare non dicit, *Propter bonitatem meam*? An ad hoc, ut eripiatur à morte, ac reliquis tribulationibus, non refert, bonine simus vel mali: sed satis est, Deum esse bonum? Debeamusne susq; deq; facere, quales quales simus, modò Deus bonus sit? Non hoc docemur hisce verbis, ut studium bonitatis negligamus: sed ut quantumuis bonis simus, ad bonitatem Dei tantùm, non ad nostram confugiamus. *Propter bonitatem tuam*, inquit. Haud obscure significat, sic se de seipso iudicare, ut dignus non sit qui eripiat, sed vna se diuina niti bonitate.

Deinde, quomodo in irato, percutiente, ac propè enecante Deo bonitatem, eamq; tantam, quæ sola in his malis succurrere queat? Etiam in hac particula ingenium fidei relucet, quantumuis huiusmodi precatio non fidelis, sed carnalis hominis esse videatur. Fides enim vna hosce habet oculos, ut in irato quoq; & percutiente Deo bonitatem non qualemcumq; sed infinitam videat, & imploret.

*Quoniam in morte non est tui memoria.* Principiò notemus rationis huius, qua mortem deprecatur, affectum Præterquam quòd naturæ mortalium hoc inest, ut mortem horreamus omnes, reperiuntur multi, quibus mortis sensus ac metus etiam ob id grauis est, quòd posteaquam vitam hanc finierunt, in obliuionem rapiuntur apud mortales, ita ut memoria eorum instar sonitus transeuntis ac nubeculæ euanescentis intereat.

Magni sunt in hac vita, in qua siue sapientiæ, siue opulentia, siue potentatus gratia passim suspiciuntur: post mortem verò nulla est amplius eorum memoria. Hoc sciunt, & in alijs certo documento experiuntur, dum adhuc viuunt. Quoniam verò siti quadam non transituræ cuiusdam, sed nunquàm intermouituræ gloriæ tenentur, & hoc nomine multa faciunt: haud parùm contristantur, quoties de morte admonentur, & quam illa rebus mortalium adferat obliuionem cogitant. Hic animus pij hominis non est, sed filiorum huius seculi: qui tamen seculis aliquot inter Christianos mirum in modum obtinuit, ex quo etiam veluti fonte quodam tam splendida monumenta & insignia in templa sunt & facella translata, ad conseruandum videlicet etiam post mortem acquisitam in vita nominis existimationem. Longè alius hic est pijssimi Davidis affectus. Non dicit, *Quoniam in morte non erit mei memoria*, & in fouea quis me laudabit: sed, *Quoniam in morte non est tui memoria*, & in fouea quis te laudabit? Significat ex eo se contristari, & ob id etiam expauescere mortem, quòd in morte constitutus Dominum laudare nequeat, Sic infra Psalm. 113. Non mortui laudant te Domine, neque omnes qui descendunt in foueam: sed nos qui viuimus, benedicimus Dominum. Sed hic affectus eorum esse non potest, qui nullo tenentur in hac vita laudandi Dominum desiderio, nedum exercitio. Admonemur itaq; hanc debere nobis potissimam esse viuendi causam, ut diuinorum beneficiorum memoria impulsu, laudes Dei quotidie celebremus ac deprædicemus. Sed quotusquisque est, quæso, qui adhuc modum sit comparatus, culus vita Deo non sit dedecori, ut si quærenda sit diuini nominis gloria, mors ad eam statuendam non magis quàm vita sit conducibilis? Vbi sic viuatur, certè

dicendum potius est: Quoniam in hac vita non est tui memoria: in hoc seculo quis te laudat? quàm A quod Propheta dicit, Quoniam in morte, &c.

Cauendum autem est, ne ex hoc versu error impiorum stabiliatur, qui perinde hominem atque pecus, non corpore modo, sed & anima emori statuunt. Loquitur hinc Propheta non de eo, quid spiritus post mortem in alio seculo faciant, vel non faciant: sed quid homo mortuus in hac vita, inter mortales, facere nequeat, pius tamen ex animo facere cupiat.

Deinde & hoc notemus, quod posteaquam dixit: Quoniam non est in morte tui memoria; subiicit: In fouea quis te laudabit? Admoneamur hinc, quid memoria Dei: id est, beneficiorum & mirabilium eius, adferat apud pios, nempe laudem Dei. Ita comparatum est ingenium animi grati, ut quoties incidit in benefactoris memoriam, ad laudandam illius ac deprecandam beneficentiam rapiatur. Sic rectè, quod Christus ad sui memoriam instituit, à veteribus Eucharistia: id est, gratiarum actio vocatum est. Nec impia sunt Patrum loquutiones, quibus Eucharistiam hanc, & redemptionis nostræ memoriam ac deprecationem, sacrificium laudis vocarunt, Memoria iusti, inquit ille, in benedictione est: id est, iustus laudatur a predicatur, quoties illius incidit mentio. Quanto quæso magis memoria Dei, laudem illius in animis piorum excitat?

OBS. 10. *Fatigor suspirijs meis, inundo per singulas noctes lectum meum lachrymis meis, &c.* ] Tria commemorantur hoc loco, animi in summis angustijs cõstituti indicia. Primũ est gemitus, vel suspiria: alterum lachrymæ præsertim tam vberes & indefinentes, quales hinc memorantur: tertium, vultus deiectio ac deformatio. Putantur hæc tria mulierum magis esse quàm virorum, quæ vsq; adeo viròs dedecere iudicantur, ut nemo propè sit, qui ferre queat huiusmodi luctus testes, in quorum conspectu tanto pe-re suspiret, illachrymetur, & facie deturpetur. At hinc videmus longe aliter esse pios in conspectu Dei comparatos, qui non solum suspirare, lachrymariq; in facie Dei dubitant, sed hoc ipsum verbis etiam orando ad eum de seipis commemorant. Non sunt lapides & ligna: nec alienum ab ipsis est, quicquid humanum est, modo crimine vacet.

Deinde nec hoc transeamus, quod noctis ac lecti meminit. Sunt hæc duo, lectus & nox, cubile scilicet, & nocturnum tempus, afflictis animis plurimum infesta. Redeunt enim noctu, & dum à reli-quorum hominum commercio separati sunt, quæ animum cruciant & adfigunt. Non est igitur cõ-modus tempus quàm noctis, nec aptior locus quàm cubilis ac lecti, ad suspirandum & clamandum ad Dominum.

Tertio, obseruemus & causam tanti luctus. Contabuit, inquit, oculus meus præ indignatione, & inueterauit inter omnes inimicos meos. Ergo indignabatur inimicis suis, quorum spem & expectationem, simul & fictionem ac simulationem intelligebat, ac quid, si moreretur, facturi essent, cogitabat. Accidit hoc multis bonis ac præclaris principibus, ut nequissimos habeant aulicos, mortem ipsorum avidissimè B expectantes, quos sciant, si voti compotes euaserint, sursum ac deorsum versuros omnia. Vsuuenit tale quid subinde & patribus familiæ, vel in vxoribus, vel liberis, vel alijs hæredibus. His omnibus sit hoc Dauidis exemplum solatio.

#### ALTERA PARS PSALMI.

8. *Discedite à me omnes operatores iniquitatis: quoniam audiuit Dominus vocem fletus mei.*

9. *Audiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.*

10. *Confundantur & conturbentur valde omnes inimici mei: auertantur & confundantur subito.*

LECTIO: In lectione nihil est obscuri vel diuersi, nisi quod in versu vltimo, quod in Ebr. est יִשְׁבְּרוּ, vulgata legit, *Conuertantur*: Hieron. *Reuertantur*: forsan pro *Retrouerantur*. & Græcus, ἀποστρέψουσιν: id est, *Auertantur*. Deinde sunt qui totum vltimum versum in futuro legant, ad hunc modum: *Confundentur & conturbabuntur valde omnes inimici mei, auertentur & confundentur subito.*

EXPLANATIO. Altera hac & posteriore Psalmi parte, Propheta quasi ab æstu maris & horrendis fluctibus mortem vndiq; instantibus liberatur, & iam in portum delatus, in magno cum gaudio post angustias illas ex metu mortis conceptas, post irremissos gemitus & indefinentes lachrymas, accepta restitutionis fiducia, de audita oratione sua gloriatur, & inimicis suis, qui mortem ipsius avidissimo hiatu expectauerant, gloriabundus insultat, & à se vehemèti ac subita confusione ad obrutos reiecit.

Vers. 8.

*Discedite à me.* ] Exprimitur his verbis reiectionis reproborum, ut quibus non sit amplius vllus locus futurus, ut iusto negotium facessant. Incertum autem est, an reprobos istos aulicos profus abiecerit, & ex aula sua semouerit: vel tulerit quidem, attamen tanquam spem iam illorum frustrata penes se in corde riserit. Est autem posterior hæc pars trimembris. Primum enim per apostrophen inimicos suos à se reiecit: deinde reiectionis huius causam versu 9. subiicit: tertio Psalmum imprecatione satis ardenti contra inimicos suos concludit.

*Quoniam audiuit Dominus vocem fletus mei.* ] Rationis loco subiicit, exauditum esse se à Domino: & quoniam ea res animum ipsius summo gaudio perfuderat, non simpliciter eam, ac semel tantum, sed pro exuberantia exultationis suæ tertio exprimit. Quid enim aliud est audire deprecationem, quàm audire vocem flentis: & quid diuersi habet, ab eo quod dixit: *Audiuit vocem fletus mei: &c.* & *Audiuit deprecationem meam*: Tantumdem autem dicit, *Discedite à me* quotquot morti meæ inhæstis, subdoli ac peruersi homines. Sperastis me reiectum à Deo, iam iam morte esse absumentum, quo nequitia vestrae liberius posthac indulgere possentis. Sed falsi estis, & euauit impia spes vestra, frustra hiatis instar

**A**stis instar coruorum. Dominus non reiecit me, etsi castigauerit me: deprecationem meam, orationem ac fletum non despexit, sed suscepit, quapropter de sanitate ac restitutione certo persuasum, ut iam vobis planè successurum non sit, quod maliciose sperastis.

*Confundantur & conturbentur.* Si legas in futuro, *Confundentur & conturbabuntur*, non erit ea lectio ab Ebræo aliena, & certam persuasionem de pudefaciendis & conturbandis breui inimicis & impijs exprimet. At hæc communis versio, imprecationem habet non sine detestatione impiorum ac subdolorum hominum. Imprecatur autem illis tria: Confusionem conturbationem, & auersionem. Adijcit duo, vehementiam, & subitam festinantiam. Confusio est, ex spei frustratione: conturbatio, ex eo quòd imperium iustitiæ effugere nequeant, sed illi diutius subesse cogantur: auersio, ex desperatione propositi.

*Discedit à me omnes operatores iniquitatis.* Notandum est hoc principiò, quòd pius princeps Propheta ac vir Dei, operatores iniquitatis, viros subdolos ac peruersos, sibiq; inimicos & insidiatores aliquandiu iuxta se ferre coactus fuit. Alioqui, nisi eos antea iuxta se habuisset, quomodo iussisset eos à se discedere? Admonemur ergo, non esse rarum, quòd impij pijs aliquandiu insidiosè & inimicè iungantur. Huiusmodi exemplis plena est sacra Scriptura. Mox iniuriò, iusto Abelo additus fuit impius Cain: postea inter medios impios ciues vixit Loth. Iacob inimicum habuit fratrem Esau. Ioseph suos fratres. Moses Chore, Dathan, & Abiron, David hic Saulem, Doëg, Achitophelum, & ipsam quoq; filium Absololum, Christus Iudam proditorem, & reliquos falsos discipulos. Paulus falsos fratres. Facit hoc ad exercitandum piorum fidem, spem, charitatem & patientiam.

2. Deinde obseruamus locum hunc de reiectione impiorum. Omnino constitutù est hoc à Deo, ut aliquando fiat separatio impiorum à pijs, reijcianturq; operatores iniquitatis. Est autem ista reiectio duplex. Primùm reijciuntur à pijs, ut corpore tamè maneant, nec planè separentur. Ea reiectio est, quando spe sua fraudantur, & quòd astutè consularunt, conatiq; sunt, irritù redditur. Et hæc reiectio frequenter accidit in hac vita. Redeunt tamen ad ingenium, & quòd vna via non successit, alia atq; alia subinde aggrediuntur. Verùm toties re infecta discedere coguntur, quoties Dominus conatus eorù infringit, & spes impias eludit: ut reætè cum Propheta dicamus: *Discedite à nobis operatores iniquitatis, quoniam audiuit Dominus.* Deinde alio modo reijciuntur, quando ita discedere coguntur, ut nunquã redire queant. Fit hoc partim in hoc seculo, dum morte auferuntur. Sic Saul à Dauide recedebat, nunquam reuersurus. Sodomitæ à Loth: Chore, Dathan, & Abiron à Mose & Aaron: Herodes à puero Iesu, & ab Ecclesia multi falsi patres ac fratres, qui tyrannide gregem Domini adflixerunt: quemadmodù & illi operatores iniquitatis discedunt, qui hodie populum Domini opprimunt. Partim ac finaliter fiet hic impiorum discessus à pijs in iudicio extremo, vbi omnino & in perpetuum à iustis separabuntur iniusti. Huc prospexit Dominus, Matth. 7. & Lucæ 13. vbi partem hanc octauæ versus citauit, dicens: *Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas facimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos (pro meis scilicet) Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem Lucæ 13. addit: Ibi erit fletus, & stridor dentium.*

*Omnes operatores iniquitatis.* Quod ad verba Christi Matth. 7. Lucæ 13. attinet, obseruandum est, quo sint illi habendi loco, qui sub nomine Christi propriæ gloriæ ac quæstui suo student, etiam si miracula operentur, & in Ecclesia pro sanctissimis ac reuerendissimis habeantur. Non alio, quàm quo eos hîc apud Dominum esse videmus: ut habeantur & nobis pro operarijs iniquis, impijs ac subdolis, oim manifestandis, reijciendis ac condemnandis.

2. Deinde & hoc notemus, quòd inimicos suos vocat operatores iniquitatis. Bene habet, quando operatores iniquitatis sunt inimici nostri, quibus aliquando discedendum est in exitium sempiternum. Habemus id commune cum Dauide hoc, Prophetis, Christo, Apostolis & pijs omnibus. Male habet, quando operatores iustitiæ, homines pij inimici nostri sunt. Tunc enim nos iste discessus manet. Nemo itaq; turbetur admodum, si videat se exosum esse nationi impiorum: & rursus nemo contemnat, si sentiat se non esse acceptum generationi iustorum.

*Quoniam audiuit Dominus vocem fletus mei.* Principiò notandum hîc est, quomodo potissimum arceendi sint à nobis operatores iniquitatis, ac conatus eorum reprimendi: fletu scilicet & oratione ad Dominum. His armis inimicos suos Propheta repressit.

2. Deinde notemus & hoc, audire Dominum deprecationes & orationes suorum, etiam cum iratus videtur, cum eos propter peccata ipforum castigat. Patet hoc in Dauide, si præcedentia huc repetas.

3. Tertiò, expendendum & hoc est, quòd fletum suorum, vel ut hîc dicit, *vocem fletus*, cœlestis Pater exaudit. Etiam si verba non adsint, satis perspicuè & efficaciter ad Deum patrem orat, qui vocem fletus ad illum destinat.

4. Quartò, etiam hoc animaduertamus, quòd ei orationi quã auditam esse gloriatur à Domino, vocem fletus adiungit. Tales sunt, quæ audiuntur à Domino. Nihil hîc est simulationis, qua coram Deo hypocritarù, ac *hypocritarum* orationes fortent. Ex animo ac seriò orat, qui cum lachrymis orat.

5. Quintò, etiam illud obseruemus, quòd tot verbis rem eandem ingeminantibus, tertiò se auditum à Domino dicit: qua in re satis videmus, quanti faciat animus pius orationem susceptam esse à Domino. Est hoc Dauidi peculiare, ut non solùm in tribulationibus constitutus ad Deum clamet, & opem eius imploret, sed simul etiam vel obnixè oret, ut audiatur, sicut visum est Psal. præced. & Psal. 4. vel auditum se esse exuberanti gaudio gloriatur. Admonemur ergo hîc, quanti nobis debeat esse momenti, quòd orationes nostræ à Deo patre admittuntur, audiuntur, ac

Vers. vlt.

OBS. 1.  
Impij pijs aliquandiu insidiosè iuncti.

Reiectio impiorum duplex.

OBS. 2.

OBS. 3.

fusci.

fusciuntur: & quàm exosculandæ sint promissiones illæ Dei: Inuoca me in die tribulationis & eripiam te. Item: Antequam clames, exaudiam te. Et: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Petite, & accipietis.

OBSER. 4.

Confundantur & conturbentur. ] Notemus hanc imprecationem Dauidis, primùm quàm sit in se æquissima, tametsi homini pio videatur non competere. Non imprecatur illis tale quid quod sine ipsorum vitio aliunde possit vel debeat inferri. Confusionem illis imprecatur, & conturbationem, & auersionem. Sunt hæc non tam in seipsis inspicienda, quàm in causis ipsorum, deinde & effectibus. In se videtur miserum, confundi, conturbari, & auerti: ac tale quid, quod homo homini non debeat imprecari. Quis enim mortalium est, qui ista non horreat? Iam quod tibi non vis fieri, inquit Dominus, id alijs non facias. Quomodo autem imprecari licet, quod facere non licet? Verùm si imprecationem hanc rectè inspiciamus, deprehendemus eam respectu causarum æquissimam ac meritissimam, ac talem esse quæ non imprecantis, sed ipsorum impiorum malicia perficiatur.

Vnde erat ista confusio, & conturbatio, & auersio inimicorum Dauidis? In promptu patet. Si amici fuissent, certè restitutione pij regis confusi, nec conturbati, nec auersi, sed magis gauisi & exhilarati fuissent. Ergo confusionis huius causa erat, spes impia de morte Dauidis concepta: & conturbationis & auersionis, pij regis restitutio. Dignissimum est, & omnium æquissimum, vt tales confundantur, conturbentur & auertantur: idque ipsorum culpa & vitio. Præterea si quid ista confusio, conturbatio & auersio in animis confusis ac conturbatis efficere posset, consideretur: quis non videt, modò velint, vt ilius illis esse confundi, conturbati, & auerti, quàm in malo extolli & exhilarari? Illud enim ad respicientiam facere potest, hoc verò in exitium ducit. Sed non ducuntur ad respicientiam, quantumuis confundantur. Si confusione ad respiciendum non permouentur, certè multo minus permouebuntur, si voti compotes facti, de malo tripudauerint. Quid igitur damni illis inferatur huiusmodi impercutione? Planè nullum: nisi vt quoniam aliter nolunt, cum confusione & conturbatione, ne perficiant quod volunt, auertantur & discedant. Si sic pereunt, suo pte vitio & pereunt, & cum confusione pereunt.

Deinde & hoc obiter cogitandum est, geri hæc tria, confusionem scilicet, conturbationem & auersionem impiorum, trifariam. Primùm, intus in cordibus ipsorum, sine reliquorum conscientia. Deinde, vt coram Mundo aliquando confundantur, conturbentur, & auertantur. Tertio coram tribunali Christi, in extremo iudicio. Vide Sap. 5. Hic sient manifesta consilia impiorum, ad perpetuam ipsorum confusionem. Hic erit fletus & stridor dentium: Luc. 13. Hic auertentur exclusi in semperniternum. Discedite, inquit, à me maledicti in ignem æternum: Matth. 25.

## PSALMVS VII.

TITVLVS PSALMI.

Shigaion Dauidis, quod cecinit Domino super verbis Cush, filij Iemini.

Shigaion Dauidis. ] Ebr. שִׁיגָיוֹן לְדָוִד. LXX. & Hieron. Psalmus Dauid. R. Kimhi dicit esse genus quoddam psalmodiæ. Shlomoch, quod sit nomen cantici, sic ab instrumento dicti, quo fuerit decantatum. Alij, negocium, vel cura & sollicitudo Dauidis reddunt: alij, ignorantia: id est, innocentia Dauidis. Sic Aquila & Symmachus: alij, iucunditas vel delectatio Dauidis. Chald. שִׁיגָיוֹן דָּוִד אֵלֶּיךָ: id est, interpretatio laudis Dauidis. Arabs titulos Psalmorum neglexit. Ista varietas neminem turbet, in re non admodum magna & necessaria.

Super verbis Cush filij Iemini. ] Quem titulus dictione Cush intelligat, etiam ipsum variè exponitur. Sunt qui ad Semei referant, de quo 2. Sam. 16. legimus, quem Dauid filium Iemini vocauit. Vide locum ipsum, vbi etiam verba illius expressa sunt. Alij referunt ad Chusi amicum Dauidis: quos tamen Hieronymus refellit. Ebræorum aliqui, sicut & nostrorum, cum veterum, tum recentiorum, inelegantur de Saule, de quo etiam constat, quod fuerit filius Iemini. Sic enim ipse 1. Sam. 9. Samueli respondens, dixit: Nunquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israel & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Benjamin. Chaldaus sic habet: בְּרִי קִישׁ דְּבִין שִׁבְטֵי בְנֵימִין תְּבָרָא: id est, Pro interitu Saulis filij Kish de tribu Benjamin. Dicitio Cush autem Aethiopem significat, quam fere hic metaphoricè, non propriè (quamuis A. Ezra propriè de quodâ Beniamita intelligat) positum volunt, perinde ac si nigri pro reprobo accipias, iuxta illud: Hic niger est, hunc tu Romane caueo. Vel ob id, quod sicut color è suum Aethiops quantumuis lauet, ita impius ille Dauidis hostis maliciam suam non mutat, quamuis crebris ad hoc beneficijs prouocatus. Iam si de Saule intelligas, queritur quæ fuerint illius verba, super quibus compositus sit hic Psalmus. Possunt ea intelligi, quæ 1. Sam. 22. leguntur ad hunc modum: Audite me nunc filij Iemini: Nunquid omnib. vobis dabit filius Isai agros & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos & centuriones, quoniam coniurastis omnes contra me, & non est qui mihi renunciet, maxime cum filius meus inierit foedus cum filio Isai? Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec est qui annunciet mihi, eò quod suscitauit filius meus seruum meum aduersum me, insidiantem mihi vsq. hodie, &c. Vel ad alia huiusmodi potest hæc particula על דְּבָרַיךָ referri. Quamquam nihil impedit, quo minus intelligatur idem esse atq. Super causa & negotio Cush. רַבֵּי enim non modò verbum, sed & ἄνθρωπος, rem, causam & negotium significat. Si de Semei filio Iemini intelligere placet 2. Sam. 16. manifestum est quæ fuerint verba illius contra Dauidem. Nos quoniam incertum est ad quem respiciat hic titulus, Psalmum hunc ita exponemus, vt ad causam Saulis respiciamus, quò etiam verba Psalmi propendere videntur, ad quam & verba Semei respiciunt.

ARGV.

ARGUMENTVM PSALMI.

Orat hoc Psalmo Propheta Dominum, imò verius declarat, quomodo in tribulationibus constitutus ad Dominum orauerit, vt se liberaret è manib. Saulis, à quo pertinacissimè querebatur ad mortem: deinde & innocentiam suam conatibus impijs hostis coram Domino obiecerit, ac respectu iusti iudicij Dei cum seipsum solatus, tum aduersarijs certissimum exitum minatus sit.

Dispositio Psalmi.

Sunt autem quatuor Psalmi partes. 1. Prima, duobus primis versibus implorationem habet diuini auxilij, contra persecutores.

2. Secunda, versu 3. 4. & 5. commemorationem habet innocentie Dauidis, cum imprecatione exitij proprii, si non sit innocens.

3. Tertia, à versu 6. vsq. ad vltimum, respectum habet ad iustum iudicium Dei.

4. Quarta, versu vltimo, Psalmum cum doxologia concludit.

PRIMA PSALMI PARS.



**O** MINE Deus meus, in te confido, serua me ab omnibus qui persequuntur me, & eripe me. vers. 1.

2. Ne quando rapiat sicut leo animam meam: discerpatur, & non sit qui eripiat.

In te confido. ] Ebr. יְהוָה אֱלֹהֵי Græc. ἐν τῷ θεῷ : id est, In te speravi. Sic & vulgata & Hierony. **LECTIO.**

Discerpatur, & non sit qui eripiat. Ebr. יִרְדָּמָה וְלֹא יִשְׁעָהּ Græc. sic: καὶ ὄνειδος & καὶ οὐκ ἔσται : id est, Non existente qui redimar, neq. qui seruet. Chald. יִרְדָּמָה וְלֹא יִשְׁעָהּ, Discindat, & non sit qui eruat. Hieron. legit, Laceret, &c. Arabs verò sequitur Græcum.

Domine Deus meus, in te confido. Satis pathetico exordio ad Dominum clamat, & opem illius implo- **EXPLA-**  
rat. In hanc vocem non sine magno angustiati cordis affectu, nec sine suspirijs & lachrymis, nec se- **NATIO.**  
mel tantum, sed sæpius prorupit. Non solum Dominum eum vocat, sed & Deum suum. Generale est, quòd eum Dominum vocat: qua dictione seipsum infinitæ illius maiestatis & potentie, qua cuncta subsistunt, admonet. Specialie est, quòd subdit, Deus meus: quod idem est atque, Seruator meus. Vnde & subiicit: In te confido: videlicet, tanquam Deum meum, qui me toties eripuit ac conseruasti, teque Deum meum esse declarasti.

**B** Serua me ab omnibus. ] Hæc est petitio. Significat se in periculis mortis esse constitutum, habere inimicos qui se persequantur: oratque Deum suum, vt se seruet & eripiat. Quòd autem non simpliciter dicit, Serua me ab inimicis meis: sed, Ab omnibus inimicis meis: innuit, esse inimicos suos non paucos numero, sed multos, quod & ipsum ad periculi amplificationem facit. Qui persequuntur me, inquit: & inimici, & multi, & persequentes. Quomodo euadam, nisi tu me seruaueris, & eripueris? Et si paucorum insidias & persequutionem forsan euadere possim, tam multorum & omnium, quomodo poterò? Germanicè dicimus, viel Hund seind des Hasen todt.

Ne quando rapiat sicut leo. ] Ne tum imminentis periculi, ac iam veluti presentis exprimit. Significat enim periculum esse, ne iam iam corripatur ac perdatur. Et vt exprimat non leuem esse persequutionem, sed exitialem, similitudine leonis feram insectantis, ac rapinam discerpentis, atrocitatem ac crudelitatem hostis, se tantopere persequentis, depingit: idque non solum leonis, sed & rapiendi ac discerpenti dictionibus velut ob oculos exponit. Potentiam hostis per id notat, quod subiicit: Et non sit qui eripiat. Loquitur in singulari, tanquam de capite & rege, quam leoni comparat. Priuo versu multitudinem inimicorum notauit, hic vnus meminit: illic membrorum, hic capitis significationem dedit.

1. Principiò notandum est hoc versu, quem Propheta ac pius rex Deum suum vocet, יְהוָה אֱלֹהֵי **OBSER-**  
inquit, Domine Deus meus. Ergo יְהוָה id est, verè existentem ac viuentem, imò omnis essentia ac vitæ **vers. 1.**  
fontem, largitorem ac conseruatorem, vnicum illum ac verum Deum vocat Deum suum. Vbi hunc Deum vocat, significat se alienum esse ab omni falsorum deorum cultu ac religione: nec vllò pacto cum illis communicare, qui præter vnum ac verum Deum alios pro Dijs suis adorant & colunt.

2. Deinde obseruemus, in quem fiduciam ac spem suam collocet. Nec in Abrahamum, nec Isaacum, nec Iacobum, nec Mosen, &c. nec quempiam ex angelis, sed in Deum suum: Domine Deus meus inquit, in te confido vel spero. Pugnatur ergo cum illis quoq. qui fiduciam ac spem collocant in sanctos, quos Deos esse nec dicunt, nec dicere possunt.

3. Tertiò. Notemus etiam, quem in tribulationibus suis inuocet, cuius opem & auxilium imploret, ad quem confugiat. Domine Deus meus, inquit, in te confido, serua me, & eripe me, &c. Ergo non inuocat alium, quam eum ipsum in quem fiduciam suam collocat: collocat autem hanc in Dominum Deum suum. Sic inuocatio fidem ac fiduciam sequitur, iuxta Paulum Rom. 10 qui dicit: Quomodo inuocabunt, in quem non credunt? Ita vides ista coniuncta, Dominum Deum nostrum, fidem, & inuocationem. A primo pendent reliqua duo, per quod & iustificantur: fides respicit ad Deum auxiliatorem, inuocatio fidem sequitur: vt fides & inuocatio sinceræ sint ac rectæ, principiò requiritur, vt verus Deus sit in quem diriguntur. Hic scilicet est verus & vnicus Dei cultus, de quo inf. a Psal. 50. idololatria est, & vana superstitio, si vel fides & inuocatio aliorum quam ad verum & vnicum Deum dirigantur, vel verus Deus sine fide & inuocatione colatur.

4. Quarto

4. *Quartò: Serua me, inquit, ab omnibus inimicis meis, & eripe me.* Quare non dicit, Domine Deus meus in te confido, non casurum me in manus persequentium me? Tu enim es Deus meus, sine cuius voluntate ac permissione nihil contra me poterunt omnes inimici mei, quantumvis sint multi, quantumvis potentes ac feroces: ideoq; bene securus sum. Et si omnino futurum est, vt in manus persequentium me cadam, tu mihi patientiam ac tolerantiam sub cruce dabis. Poterat eadem fide dicere: Domine Deus meus, in te confido, tu seruabis me ab omnibus inimicis meis, & eripies me: nec sanè mentitus esset, nec impiè credidisset. Et quid aliud est, quod supra Psalmo 3. dixit: Non timebo millia populi circumdantis me? & infra Psalmo 23. Si ambulauero in media mortis umbra, non timebo mala, quoniam tu mecum es? At hinc orat, vt seruetur & eripiatur. Est ne igitur hic alienus ab ea fide, quæ animam tuam mecum est? At hinc orat, vt seruetur & eripiatur. Est ne igitur hic alienus ab ea fide, quæ animam tuam mecum est? At hinc orat, vt seruetur & eripiatur. Est ne igitur hic alienus ab ea fide, quæ animam tuam mecum est?

Quintò *Ab omnibus, inquit, qui persequuntur me.* Non id solùm notandum est in hac particula, quòd vir pius, qui à multis debebat diligi, à multis iactatur, & multos habet persequutores: sed & quòd sit aulicorum ingenium. Quoniam videbant regem suum Saulem Dauidi esse infensum, illumque persequi, vt illi gratificarentur, sunt & ipsi viri iusti & innocentis persequutores: longè aliud facturi, si vidissent eum regi esse dilectum & acceptum. Sunt hodie multi Euangelicæ doctrinæ hostes ac persequutores, quorum maxima portio nec iudicio, nec zelo mouetur: sed ad gratificandum primatibus, quos vident doctrinæ huic esse infensos, vitæ doctrinam persequuntur & ipsi. Tales non sunt pij. Nolebat Ionathas in gratiam patris persequi, quem sciebat esse innocentem, sed innocentiam eius quib. poterat modis tuebatur. Huiusmodi Ionathas habet & hodie quidem Ecclesia, sed non multos.

**OBSER.**  
Vers. 2.  
Vocas &  
Paulus Ne-  
ronem leonem,  
2.  
Tim. 4.

1. Per similitudinem leonis rapientis ac discerpentis, admonemur, quid impietas faciat, si eos qui in magistratu sunt, corripuerit. Erat Saul rex in populo Dei constitutus, regis est, esse pastorem ac defensorem suorum maxime eorum qui per iniuriam opprimuntur, vt sit veluti patris loco. Sed ecce, per impietate conuersus est in leonem persequutorem, raptorem, ac discerpentem. Magna est hæc metamorphosis, pastoris in leonem. Tantum refert, in quem cadat potentia magistratus, piæne vel impiæ.

2. Deinde & hoc notandum est, quòd dicit: *Et non sit qui eripiat.* Qui à priuatis reprobis inuaditur, potest per regem ac magistratum eripi, potest cum spe liberationis ad principem suum confugere ac liberari. Qui verò ab ipso rege & magistratu violenter & per iniuriam opprimitur, à quo postea potest eripi, ad quem confugiet? Exemplo hoc Dauidis, fugiat ad Dominum Deum suum, qui nunquam sua nos prouidentia in huiusmodi pericula conijcit, vt dum non est inter mortales qui nos è manibus potentum liberet, ad ipsum confugere cogamur.

3. Præterea & illud cogitemus: Si horrendum est incidere in manus leonis, regumq; ac potentum huius seculi, vnde nemo liberare queat, nisi Deus noster: quanto magis horrendum sit, incidere in manus Dei, è quib. nemo nos, quantumvis potens, eripere queat? Sic infra Psalmo 50. dicit: *Intellige te nunc qui obliuiscimini Dei, ne quando rapiam, & non sit eripiens.* Sic Sufanna maluit in manus reprobis iudicium incidere, quam peccare in conspectu Dei. E' manus impiorum iudicium diuino liberata est auxilio: è manibus Dei nullorum potentum ope fuisset erepta.

## ALTERA PARS PSALMI.

3. Domine Deus meus, si hoc feci, si iniquitas est in manibus meis.
4. Si reddidi retribuenti mihi malum, & spoliaui infestantem me sine causa:
5. Persequatur inimicus animam meam, & apprehendat, & conculcet in terram vitam meam, & gloriam meam in puluere sepeliat. Selah.

**LECTIO.**  
Vers. 4.

*Si reddidi retribuenti mihi malum.* Ebr. אִם בָּרַחְתִּי שְׂלֵמֵי יָדַי לְרֵעִי. Græcus: ἂν ἄρα ἀνὴρ ἀδικῶν ἐμὸν ἀδικῶν ἀδικῶν. id est, Si reddidi patrono pacis meæ malum. Felix: Si reddidi habenti pacem mecum malum. Varietas ista hinc est quòd alij respiciunt ad verbum שָׁלַם, quòd retribuui significat: alij ad שָׁלֵם, quòd sonat pacificum.

*Et spoliaui.* Ebr. אֶחְלַצְתִּי. Quoniam verbum חָלַץ varia significat, fit vt etiam hæc particula variè legatur. Græcus: ἀποστεροῦμαι ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν μου ἀδικῶν. id est, Decidam sanè ab inimicis meis inanis. Hier. Et dimisi hostes meos vacuos. Felix: Et oppressi tribulantes me sine causa. Alius sic: Si hostem meum temerè spoliaui. Alius ad hunc modum: Si destitui eum, iam inmeritum me infestantem. Chal. Et strinxi eum qui me agebat frustra. Arabs Græcam versionem sequitur.

**EXPLANATIO.**

Altera hac Psalmi parte Propheta innocentiam suam maliciæ Saulis objicit, idq; coram Domino, quem sciebat secretorum omnium cognitorem ac simul iustum iudicem, probare non posse innocentis hominis oppressionem.

Domine Deus meus, si hoc feci. Accusabatur à Saule, quòd & vitæ & regno ipsius insidiaretur, & hoc præteritè

**A** prætectu ad mortem querebatur. Hoc sentis, dicens: *Si hoc feci, si est iniquitas in manibus meis.* Non simpliciter dicit, *Si malum feci*: sed, *Si hoc feci.* Quapropter illud, *Si est iniquitas in manibus meis*: de ea est iniquitate intelligendum, cuius à Saule infimulabatur. Iniquitatem autem in manibus esse, est rem iniquam moliri, etiam si opere perfici nequeat. Habebat Iudas iniquitatem in manibus suis, cum proditione Domini moliretur: & Saul, cum Dauidem innocentem persequeretur. 1. Sam. 24. dicebat ad Saulem Dauid: Animaduerte & vide, quoniam non est in manu mea malum nec iniquitas. Cum enim præciderem summitate chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. Quasi dicat: Si esset iniquitas ista in manibus meis, cuius me gratia persequeris, potuiffem illam utiq; ipso opere perficere. Quod quia non feci, satis conspicuum est, iniquitatem hanc non esse in manibus meis.

*Si reddidi tribuenti mihi malum.* Iniquitas est, si quisquam vel infanti, vel benemerito, præcipue regi suo, infidietur. Hoc se fecisse præcedenti versu pernegauit. Poterat hic causari Saulis maliciam, unde motus sit, ut infidiant vicissim & ipse infidiaretur. Verum ut auxilium innocentie suæ exprimat, negat se non solum innocenti, sed nec hosti esse infidiatum: nec simpliciter hosti, sed tali hosti, qui malum pro bono rependerit. Ideo dicit: *Si reddidi vicem*, scilicet illi qui mihi malum retribuit: hoc est, qui pro beneficijs meis, cum in ipsum, tum regnum eius collatis malum repedit. Si illi, quamuis merito reddidi malum pro malo, pro malo inquam beneficijs meis repenso, apprehendat vitam meam, &c.

*Si spoliaui infestantem me sine causa.* Videtur omnino respicere ad historiam, quæ est 1. Samuelis 24. Potuiffet Saulem prorsus è medio tollere, verum volebat: quamuis illi eam ob causam isthuc comparauerat, ut ipsum ad mortem quæreret. Illud, *Sine causa*, non ad verbum *spoliaui*, quasi non neget se spoliasse inimicum, sed sine causa spoliasse neget: sed ad *infestantem* est iungendum. Significat enim infestari se à Saule, sine causa.

*Persequatur inimicus animam meam.* Atqui hoc alioqui faciebat: verum iniuste faciebat. deinde non consequbatur, quod volebat. Cupiebat enim ipsum prorsus extinctum, & gloriam illam quam in populo Dei consequutus fuerat, de qua vide 1. Sam. 18. prorsus delere ac proculcare satagebat. Hoc erat impio Sauli consilium ac propositum persequendi Dauidis. Dicit igitur: Si iniquitas hæc in manibus meis est, ut regitendam infidias, imò si meritum malum pro malo immerito rependi, si eum qui me sine causa quærit ad mortem spoliaui, non solum ius habeat coram te Domine, ut me persequatur, sed & quod hæc mei persequutione quærit, prorsus perficiat, ac voti compos euadat: poterat planè, & extinguat animam meam, vitam meam, & gloriam meam, ut non solum de terra corpore tollar, sed & omnis mea gloria in ignominiam vertatur, verum tu Domine Deus meus, & illius iniquitatem, & meam innocentiam nosti, &c.

*Domine Deus meus, si feci hoc.* Videmus hoc loco, quanta sit innocentis animi coram Deo fiducia. Quæ **OBSER. 1.** uis coram Domino peccator esset Dauid, sicut & alibi dicit: Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine: confidenter tamè Dominum *Deum suum* contra Saulis maliciam appellat, seq; innocentem affirmat. *Si feci hoc*, inquit: *si est iniquitas ista in manibus meis.* Seruat igitur hic locus omnibus illis, qui per iniuriam affliguntur, ac vim iniustam ferre coguntur, ut & ipsi, quamuis in alijs coram Deo culpabiles, in ea tamen causa, in qua premuntur immerito, ad Deum suum confugiant, & innocentiam suam impiorum maliciam opponant, nec dubitent esse adhuc locum innocentiam coram Deo saluum & illibatam.

*Si iniquitas est in manibus meis.* Notanter non dicit, *Si tentauit iniquitas cor meum*: sed, *Si iniquitas est in manibus meis.* Ut homo erat, dubium non est, tentatum esse eum aliquoties cogitationibus non bonis. Verum quoniam pius homo erat, locum tentationibus non dedit, nec permisit ut iniquitas veniret in manus ipsius. Sic legimus eum Sauli dixisse: Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manum meam in spelunca, & cogitabam ut occiderem te (ecce tentationem cordis) sed pepercit tibi oculus meus. Dixit enim: Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est. Vides hinc, non fuisse iniquitatem in manibus eius: sicut & paulò post subiungit. Aliud est igitur, iniquitate quamquam in corde tentari: & aliud iniquitatem perficiendam in manus sumere. Primum est omnium hominum, in altero diuiditur à pijs impijs ac reprobis: quorum illi iniquitatem in manus suas venire non sinunt, etiamsi occasio perficiendæ illis offeratur: isti verò manus habent iniquitate refertas.

*Si reddidi retribuenti mihi malum.* Obseruandum hinc est, quæ sit innocentiam piorum excellentia. Reperiatur in hoc seculo quoq; qui hæcenus seruent innocentiam, ut vel bene merito, vel non malè merito nihil mali faciant: verum qui malum pro malo non rependat, cum possit, non in hoc seculo, sed in regno Dei reperitur. Ergo Christianorum: id est, verè piorum hæc est innocentia, ut neminem lædant, ne eos quidem qui primum læserunt: imò nec eos, qui malum pro bono reddiderunt.

*Persequatur inimicus animam meam.* Videmus hinc, quam non debeat quisquam moleste ferre, si sua culpa propter iniquitatem manuum suarum incidat in afflictiones ac pericula. Si læstisti proximum, illumque contra te tua malicia exacerbasti, licet ille malefaciat, si te persequatur, tu tamen non habes conquerendi rationem. Erat Saul improbus & infestus Dauidi, cum eum querebat ad mortem. Quod si Dauid vicissim illi fuisset infestus, & hostem malum meritum malè tractasset, non habuiffet Saul coram Domino de hoc ullam conquerendi rationem, licet factum Dauidis Deo displicuiffet. Ita nec Dauid id fiduciam coram Deo potuiffet habere, quod hi versus exprimunt, si meritò fuisset à Saule afflictatus, & ad mortem quæ situs. Agnoscit hoc cum dicit: *Si feci hoc. &c. persequatur inimicus animam meam, &c.* In huiusmodi itaq; casibus damnum nostram ipsorum maliciam, & meritas afflictiones patienter feramus.

*Et gloriam meam in puluerem sepeliat.* Duo sunt hinc notanda. Vnum, liuoris ingenium in Saule. Nullam erat malefactum Dauidis, cuius illum nomine fuisset Saul persequutus. Liuore ducebatur, **OBS. 5.** propter

7. Sam. 18. propter canticum mulierum quæ cecinerant: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia. Canticum hoc displicuerat in oculis Saulis. Vnde & dicebat: Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille. Quid ei superest, nisi solum regnum? Insigne illud factum cæsi Goliath, non alienauerat animum Saulis à Dauid: sed gloriam illam, quæ factum hoc sequebatur, ferre non potuit. Itaque vt hanc extingueret, Dauidem persequebatur. Hoc est liuidorum ingenium, vt cum egregia facta improbare nequeant, gloriam illorum moleste ferant. Alterum est, dignam esse malorum hominum gloriam, quæ in puluere sepeliatur, Qui dignus non est vt viuat, dignus vtique non est vt in gloria viuat. vt viuat autem, dignus non est, in cuius manibus est iniquitas. Ergo iniquorum & reproborum hominum gloria digna est, quæ extinguitur: quæ etiam omnium certissime extinguetur, & in confusione sepelietur.

## TERTIA PSALMI PARS.

6. Surge Domine in ira tua, exaltare contra iracundiam infestantium me, & excita ad me iudicium quod mandasti.

7. Et cætus populorum circumdabit te, & propter hunc in excelsum reuertere.

## LECTIO.

Verf. 6.

Contra iracundiam infestantium me. ] Ebr. בעברתי צרירי Græcus ἐν τοῖς ὀργαῖς τῶν ἐχθρῶν αὐτοῦ: id est, In finibus inimicorum tuorum. Sic vulgata Latina: nisi quod illa legit, Inimicorum meorum. Hieron. Eleuare indignans super hostes meos, Hic illud בעברתי: id est, in iras, vel contra iras, ad Deum non ad hostes refert.

Et excita ad me iudicium quod mandasti. ] Ebr. ועירא אלי בושפט צרירי Græc. sic: ἀνίσταί με ἐν ὀργῇ καὶ ἐκείνη ἐστὶν ἡ ἐξουσία σου: id est, Et excitare Domine Deus meus in præcepto quod mandasti. Cū hoc consentit Arabs, sic legēs: Surge Domine meus, & Deus meus, ad verbū quod dixisti in eo. Ergo & Græcus, & vulgata Latina, & Arabs, illud אלי legunt nō, Ad me: sed, Deus meus: & addunt, Domine: & Arabs, In eo, quæ in Ebr. non reperiuntur. Hieron. Et consurge ad me iudicio quod mandasti. Chal. sic: לירגא דפסירא ארורתי: id est, Et accelera mihi iudicium quod mandasti. Felix: Et exurge ad me, iudicium præcepisti.

Verf. 7.

## EXPLANATIO.

Verf. 6.

Circundabit te. ] Ebr. תסרבך Hieron. Circundet te: sicut & recentiores aliqui legunt. Hac tertia Psalmi parte, Propheta confugit ad iustum iudicium Dei: idq; facit iam orando, iam vaticinando, iam comminando.

Surge Domine, inquit, in ira tua. ] Videbatur Dominus planè obdormiuisse, cū tanta Sauli iniquitas impunè cederet. Orat itaque vt exurgat, & velut dormientem excitet. Non dicit autem simpliciter, Surge Domine: sed addit, In ira tua, Ira vt motus est & excitatio animi, antea quiescentis ac placidi: ita & corpus quoque, aliàs quietum, siue id fideat, vel iaceat, excitat, & ad vindicandum impellit. Sic ergo Propheta & Deum per ἀνθρωπότητα αὐτοῦ ad vindictam excitat. Et quoniam patientia illa & coniuuentia Dei, & diminutionem & contemptum gloriæ illius faciebat: subijcit, Exaltare, contra iracundiam infestantium me. Intelligit enim de exaltatione potentia ac gloriæ Dei, quæ planè videtur humi iacere, quando impiorum furor contra pios ac seruos Dei omnia posse videtur. Quasi dicat. Videtur homo quasi Deus quidam esse, quando iratus tanta perpetrare permittitur. Surge tu Domine in ira tua, & exultare cōtra iram inimicorum meorum: vt perspicuum fiat, cuius potius ira sittimenda, hominīs ne vel tua.

Et excita ad me iudicium quod mandasti. ] Hoc est: Quod de me statuisti iam antea, & ad quod me per Samuelem inaugurasti, id tandem in effectum educito. Videbatur sententia illa Dei veluti e. mortua & sepulta, cū is qui ad regnum erat per Samuelem inunctus, Saulis persequutione premeretur, & ad externos eijceretur. Orat igitur vt excitetur. Nec est præter rationem, quod iudicij meminit. Nam vnctio illa, qua per Samuelem fuerat regno inauguratus, adiunctum habebat iudicium contra Saulem. Sic enim 1. Samuel 16. legimus: Dixit Dominus ad Samuelem, Vsq; quod tu luges Saulem, cū ergo proiecerim eum, ne regnet supra Israël? (ecce iudicium Dei contra Saulem) Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem. Prouidi enim in filijs eius mihi regem (ecce mandatum Dei pro Dauide inungendo.) Sic & mandatum & iudicium Dei in tua & eadem causa coniuncta fuerat. Huc respicit Propheta, credens adhuc futurum quod semel à Deo fuerat decretum, ideoque non solum dicit, Excita ad me iudicium: sed addit, Quod mandasti.

Verf. 7.

Et cætus populorum circumdabit te. ] Significat hoc versu, quod respiciat hac iudicij Dei imploratione: huc nempe, vt populus ad Deum suum ritè colligatur, id quod sub regno Saulis fuerat neglectum. Nihil enim timoris Dei erat ampliùs in Israël: quod patuit in neglectu arcæ Testamenti, quæ primùm sub initium regni Dauidis honori suo restitui cœpit. Ista historia 2. Samuel 6. descripta, versum hunc satis declarat. Itaque ne videatur propria gloriæ desiderio teneri, illiusq; respectu petere, vt iudicium Dei contra Saulem pro se excitetur: non dicit, Et cætus populorum circumdabit me: sed, Et cætus populorum circumdabit te: id est, te colet ac venerabitur, ad cultum ac timorem tui denuò instituetur, Nec dicit, Et propter me: sed, Et propter hunc: id est, populi ad te congregandi cœtus, in excelsum & sublime reuertere. Quasi dicat: Non quero, Dominum meum, sed tuum: nec tantum huc respicio, vt mihi consulatur: sed potius & cum primis, vt populo tuo prospiciatur, & illi sit consultum, qui iam miserè dissipatur, & abs te alienatur. Quapropter non mea, sed primùm tua ipsius, deinde & populi tui gratia, surge tandem, & repressa inimicorum meorum insolentia exaltare: & quod olim de me statuisti, iam semel perface.

## OBSER. 4.

Surge Domine, in ira tua. ] De metaphorica illa loquutione, qua Deus velut è somno excitatur, notauit quædam supra Psalm. 3. verf. 7. Obseruemus hinc quomodo excitationem iræ Dei deputat. Irritatur

**A** riuatur patientia Dei impiorum hominum insolentia, & piorum periclitatione. Ista irritatio patientiam Dei commutat in vindictam impiorum. Cogitamus itaque omnium fore certissimum, quod tandem incredibilis ista etiam nostri seculi impiorum tyrannis & crudelitas, qua tantopere sanguis innocentum periclitatur ac profunditur, patientiam Dei irritatam in vitionem tantae malicie mutabit. Deinde & hoc notemus, quod iram Dei opponit iracundiae inimicorum suorum. Grauis quidem est tyranni ac potentis in hoc seculo furor & indignatio (etenim si ira viri, ira leonis est: quid est ira regis ac tyranni?) verum quid est ira tyranni, irae Dei collata? nempe quod est ignis pictus, collatus ad ignem verum ac viuum. Confugiamus itaque & nos à facie iracundiae humanae ad excellentiam irae diuinæ, & exemplo hoc Dauidis seculo huic pijs irascenti, iram Dei obijciamus.

*Exaltare contra iracundiam infestantium me.]* Notemus verbum *exaltandi*. Deus perpetuò sublimis est, nec aliquid excellentiae illius in se potest addi. Verum non semper talis in oculis mortalium est, qualis in seipso. Perinde enim atque Solis splendor in se quidem perpetuò idem est, non tamen idem semper mortalibus apparet, videlicet cum vel nubecula quadam tegitur, vel noctu à nobis digressus est, vel eclipsim non ipse in se, sed haec inferiora sub ipso patiuntur: ita & sublimitas illa Dei nunquam vllam humiliationem in se passa mortalibus tum videtur deijci, quando in hoc seculo pro libidine sua quiduis possunt homines impij, & pij periclitantur: exaltare contra, quando impij deijciuntur, & pij asseruntur. Admonemur ergo hac particula, quò potissimum spectare debeamus, quando contra impiorum insolentiam iudicium Dei imploramus: nempe, vt excellentia Dei maiestatis declaratur.

OBSER. 2.

*Et excita ad me iudicium quod mandasti.]* Notemus hinc de iudicijs Dei, quomodo illa quidem non nunquam velut mortua & sepulta appareant, verum non ita, vt in perpetuum sepulta permaneant, excitariq; nequeant. Sunt Deo certae iudiciorum ipsius dispositiones, certa temporum momenta, quibus quae ante secula decreta sunt, in lucem demum prodeant. Videbantur in vet. Testamento omnes illae prophetiae de Christo mortuae ac sepultae, cum tot seculorù curriculum nihil appareret, vnde illarum veritas declaratur: verum tandem velut excitatae sunt, vbi temporis plenitudo aduenit. Et hodie quae Christus in se credentibus promisit, sepulta videntur, verum suo tempore excitabuntur. Excitatio illa iudiciorum Dei in manu nostra non est, sed Dei: & licet suis destinata sit momentis, optari tamen & peti à nobis potest: sicut hinc à Dauide fieri videmus.

OBSER. 3.

**B** Deinde obseruanda est illa particula quam subiungit, dicens: *Quod mandasti.* Videmus hinc quomodo in tenebris istis adfectionis suae verbo Dei nitatur. Ebr. simpliciter dicit, *נִרְצָה*: id est, *praecipisti*: quod non est praeter emphesim factum. Nititur omnino veritate & immutabilitate decreti Dei, certus fieri non posse, vt non tandem in effectum abeat, quod à Deo semel constitutum esse sciebat, quantumuis Saulis impietas & tyrannis repugnare videretur. Sit ergo & nobis petra quaedam immobilis qua nitamur, ista verbi Dei veritas, à qua nos nullis humanarum ac terrenarum rerum spectris auelli sinamus.

*Et cæcus populorum circumdabit te.]* Notemus hinc, quantum referat, etiam ad cultum Dei, qualis sit is, qui rerù in populo Dei potitur. Saul erat impius, ideoq; arcam Dei neglexerat. Hic neglectus religionem Dei in populo propè extinxerat, & Israëllem non nihil à Deo alienauerat. Videbat hoc Dauid, ac dolebat: ideoque optabat, vt iudicium Dei semel latum excitaretur, quo populum Dei ad iustam religionem ac cultum illius reducere liceret. Et hoc etiam egregiè, cum regnum esset consequutus, praestitit. Sic plurimum refert, qua pietate praeditus sit magistratus populi Dei. Non legimus Saulem quenquam à cultu Dei cohibuisse. Verum quoniam ipse arcam Dei & verum pietatis studium negligebat, etiam in eo impletum est dictum illud Christi: *Qui non colligit mecum,* dispersit: & qui non est pro me, contra me est. Dauid verò quoniam & exemplo suo populo praebat & mandatis etiam ad cultum Dei vocabat, hoc ipsum effecit quod hinc dicit *Et cæcus populorum circumdabit te.* Finge praefectum quendam à Cæsare populo cuiusdam ad ius cæsaris pertinenti dari. Si hic cæsari fidelis est, facile populum illum eò perducet, vt Cæsarem ex animo complectatur. Sin aliud agit, etiam si non prohibeat quo minus Cæsar ametur, exemplo tamen suo, populo ad contemptum Cæsaris autor redditur. Ob oculos hodie est exemplum episcoporum. Si isti Christo magis quam Antichristo fideles essent, Christo magis quam Antichristo & sibipsis populum Christi adducerent. Paterfamilias si pius fuerit, exemplo & institutis suis totam familiam ad timorem Dei instituet: si verò pietatis fuerit negligens, negligentiae suae exemplo totam domum suam labefaciet, & à Deo alienabit. Magistratus in ciuitate, si conuentus Ecclesiasticos studiosè frequentauerit, & amorem ac studium Euangelij Dei declarauerit, quis non videt, quantum subditis ad hoc sit profuturus, vt & ipsi ad Deum & ecclesiam illius colligantur?

OBSER. 4.

Math. 12.

Pulcherrimà vox Gedeonis, Iudic. 8: Non domina bor vestri, neque filius meus, sed Dominus.

*Et propter hunc in excelsum reuertere.]* Obseruandus est affectus futuri regis erga populum Dei, miserè dissipatum ac dispersum. Erat hic Dauid futurus populi Dei pastor, ideoque hunc à Deo animum erga miserum Israëllem acceperat, vt salutem illius obnixè promotam cuperet. Volebat populo suo consultum Deus, ideoque amoto Saule hunc illi pastorem destinauerat. Si cum vellet Petro ouiculas suas Christus commendare, primùm de dilectione illius erga se percuntabatur. Sciebat enim fieri non posse, vt oues non amaret, qui pastorem efflictim amaret. Sicut ergo iudicium est saluandi populi, vbi tales dantur pastores, qualis fuit hic Dauid: sic contra perditionis iudicium est, vbi pastores dantur, non oues, sed seipos pascentes: quorum non haec vox est, *propter populum tuum Domine: sed, Propter nostram gloriam, nostram maiestatem, ac nostram commoditatem retinendam, in excelsum reuertere.*

OBSER. 5.

3. Dominus iudicat populos: iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum integritatem meam super me.

9. Consumat, quaeso, malum impios: & dirigas iustum, qui probas corda & renes Deus iustus.

10. Scutum meum in Deo, qui seruat rectos corde.

LECTIO.  
Vers. 8.

Secundum integritatem meam.] Ebr. כחמי. Græcè sic: *κατὰ τὴν ἀνομιάν μου*: id est, secundum innocentiam meam: sicut & vulgata Latina habet. Chald. רבשלמיותי. id est, secundum perfectionem meam. Hieron. secundum simplicitatem meam: quemadmodum & Felix legit.

Super me.] Ebr. עלי. Alij legunt, *Quæ est in me*. Sic Hieron. & recentiores quidam. Alij, *Super me*. Sic Græcus & vulgata Latina. Alij subintelligunt verbum *Repende, & Retribue*. Sic Chaldæus: רבשלמיותי. id est, secundum perfectionem meam persolue mihi.

Vers. 9.

Consumat, quaeso, malum impios.] Ebr. אכיל ארעושי. verbum hoc אכיל, alij actiue sic: *Consumat, quaeso, malum impios*. Sic Felix, & quidem alij ex recentioribus. Alij passiuè. Sic Græc. Vulgata Latina, & Hieron. *Consumetur*, inquit Hieron. *malum iniquorum*.

Deus iustus.] Ebr. צדיק אלהים. Has voces Latina vulg. diuisit, & posteriorè initio sequentis verbi deputauit, sic legendo: *Iustum adiutorium meum à Domino*. Verùm Græcus eas coniunctim legit: nisi quòd pro *iustus*, legit *iustè*, aduerbialiter. Arabs eas prorsus omisit, nisi sit exemplar mutilum.

Scutum meum in Deo.] Ebr. מגן אלהים. Græc. sic: *ἡ θούρα μου ἐν τῷ θεῷ*: id est, *Adiutorium meum à Deo*. Hieron. *Clypeus meus in Deo*. Felix: *Scutum meum super Deo*.

EXPLA.  
NATIO.

Præcedentibus duobus versibus iudicium Dei respectu mandati illius implorauit, quo se per Samuelem ad regni inaugurationem vngi præceperat. Iam verò consequenter idem quidem implorat, sed alio prætextu, nempe innocentie & iustitie sue, & impietatis inimicorum: deinde & iustitie Dei qua iudicat Mundum, & corda ac renes mortalium probat.

Dominus iudicat populos.] Respicit ad id quod Deus iudex est, nō vnus aut alterius, sed totius Orbis. Ideo nō simpliciter de vno Israël's populo, sed pluraliter de omnibus Orbis populis loquitur, dicens: *Dominus iudicat populos*: quod idem est, ac si dicat, *Dominus iudex est omnium*. Ipseus est iudicium, & potestas iudicandi de omnibus.

Iudica me Domine secundum iustitiam meam.] Rectè implorat iudicium Dei, postquam illi potestatem iudicandi de omnibus tribuit, *Secundum iustitiam meam, & integritatem meam*, inquit, *super me*. Prætextit innocentiam suam, cuius suprâ versu 3. & 4. meminit. Loquitur autem non de iustitia & integritate, quæ coram Deo in vniuersum sit iustus & perfectus: sed qua iustus & integer sit in causa illa, ob quam à Saule profligabatur.

Consumat, quaeso, malum impios.] Qui legunt, *Consumatur quaeso malum impiorum*: affectum hunc Dauidis contra inimicos suos, ea lectione non nihil mitigare volunt. Est enim mitius, si petat iniquitatè impiorum cōsumi, quàm si oret, vt ipsi impij malicia sua consumantur. Verùm si talis fuisset Dauidis hoc loco affectus, nō fuisset dictione אכיל. id est, *impiorū vsur*: sed dixisset potius: *Consumatur, quaeso malum inimicorum meorum*. Ad hæc, subiecta particula, qua dicit, *Et dirigas iustum, qui probas corda & renes Deus iustus*: satis declarat, quid petat. Vt enim oppositi sunt inter se impij & iusti, ita & opposita sunt, quæ vtrorumq; nomine à Deo tanquam iusto iudice petit. Orat, vt iustus dirigatur: videlicet vt pro ratione iustitie sue defendatur, & prosperè habeat. Contrarium imprecatur impijs: nempe, vt quod malicia sua coram Deo iusto iudice promeruerunt, accipiant. Id autè non hoc tantum est, vt malum eorum consumatur, sed vt ipsi perdantur. Quapropter malo ad hunc modum legere: *Consumat malum impios*: quàm, *Consumatur malum impiorum*. Illud, *Qui probas corda & renes Deus iustus*: tritum ac frequens est in Scripturis, pro eo quod est, Deum omnium esse secretorum cognitorem, nec iudicare secundum externam apparentiam, sed secundum ipsam veritatem. Per *corda* enim & *renes*, secreta mortalium consilia & intimi affectus intelliguntur, quorum plerunq; conditio & profunditas mortalium conscientiam fugit.

Vers. 10.

Versus decimus, animi fiduciam, ex fide iusti iudicij Dei conceptam exprimit. Quoniam crederet Deum pro sua iustitia non deserere iustos, ac rectos corde: ideo certa fiducia persuasus, credit eum sibi fore scuti loco: id est, protectorem suum, contra insultus impiorum.

OBSER. I.

Dominus iudicat populos. Notandum hîc est quòd non dicit, *Dominus est iudex populorum*: sed, *Dominus iudicat populos*. Non solum iudex est potestate ac iure, sed & opere. Sunt multi iudices nomine & & munere, qui tamen iudicandi munus, vel non, vel malè exequantur. At Deus & potestate est iudex omnium, & opere etiam iudicat.

Deinde in eo quòd non simpliciter dicit, *Dominus iudicat*: sed addit, *Populos*, notandum nobis est, castigationes illas omnium & gentium & nationum, quibus vel bello, vel peste, vel fame, vel quibuscunque alijs supplicijs puniuntur, esse vnus ac veri Dei & iudicis iudicia, non minus quàm ea quæ in sacris Scripturis legimus.

OBSER. 2.

Iudica me Domine secundum iustitiam meam.] Notemus hîc, non esse insolens, si vir innocens iustum se & integrum esse in loco gloriatur. Aliàs coram Deo, iustus primùm est accusator sui ipsius. Verùm contra populi ingratitude recenset Samuel iustitiam suam, 1. Sam. 12. Et contra aduersarios suos Christus, Iohan. 8: *Quis, inquit, ex vobis arguit me de peccato*. Et Paulus contra pseudopostolos ministerij sui integritatem, diligentiam & efficaciam, in posteriore ad Corinthios commendat. Sic & Dauid hîc contra Saulis improbitatem pro iustitia sua & integritate iudicium Dei implorat. Notandum est etiam, quòd *iustitiam & integritatem* coniungit. *Integritas animi* est virtus illa, qua mens

A qua mens hominis aliena redditur ab omni verſutia, malicia, & duplicitate, quam aliàs ſimplicitatem nominamus. Iuſtitia eſt hoc loco pro innocentia poſita. Nihil læſerat Saulem. Iuſtus erat hæcenus, quòd nec regno, nec perſonę Saulis fuerat inſidiatus, cuius tamen illum malicię inſimulabat Saul. Integritas eſt, interna illa animi ſanitas ac puritas: iuſtitia hæc eſt vitę rectitudo, & innocentia. Recte hæc duę coniunguntur. Niſi enim intrũs in corde fit hæc integritas, non poterit externa vitę noſtrę conuerſatio iuſtitię rectitudinem conſeruare.

Ex eo David hoc loco non ſolum factorem, ſed & mentis innocentiam exprimit.

OBSER. 3.

Consumat, quaſo, malum impiorum.] Notandum eſt hoc verſu, quomodo rectam & iuſtum iuſti Dei iudicium paucis verbis deſcribatur: hoc eſt, iuſti iudicis דַּוָּרָה, vt reprobos perdat, iuſtos ſeruet ac prouehat. Peruerſio iudicij eſt, quando iuſti perduntur, ac reprobi diriguntur: id quod in hoc ſeculo frequentiffimum eſt. Videbatur Saul impius dirigi, ac David iuſtus perdi. Sciebat hoc contrarium eſſe iuſto Dei iudicio, ideo oppoſitum orat. Et Paulus Rom. 13. hanc iuſti iudicij normam deſcribit, vt vltio ſumatur de malis & boni defendantur. Notandum & illud eſt, quòd non dicit, Consumat me impiorum: ſed, Consumat malum impiorum. Merito conſumuntur, qui maliciã ſua conſumuntur. Reprobis puniuntur, maliciã ſuã fructus auferunt: & quod ipſi intriuerunt, exedunt.

Qui probas corda & renes Deus iuſtus.] Fœcundus eſt hic locus. 1. Principio, notatur hic cordis hũmani profunditas, quę iudicio mortalium eſt inacceſſa. Sic Hier. 7: Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, & quis cognofcet illud? Et Eſa. 29: Vt qui profundo eſtis corde, vt abſcondatis cõſilia. Et hoc fonte omnis generis impoſturę, fallacię, inſidię, & machinamenta, quibus ſimpliciores quotidie decipiuntur, emanant.

OBS. 4.

2. Deinde Videmus hic Deum non latere cordium ac renum ſecreta: imò eum eſſe ſolum, qui illa cognofcat. Alioqui non eſſet ratio, ob quam hanc illi laudem Scripturã tribueret. Vnde & Hier. 17. cum dixiſſet: Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, & quis cognofcet illud? ſubiicit: Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes. Ne eſt illa cognitio cordium ac ſecretorum noſtrorum Deo incerta, vel dubia, vt pote ab externis ſiue verborum, ſiue operum iudicijs humano more collecta: ſed omnium certiffima. Hinc uſus eſt Scriptura verbo probandi: Probas, inquit, & addit: Corda & renes. non dicit, Verba & facta: nec dicit, Coniecturas ex verbis & factis.

3. Tertio. Videmus etiam hoc loco, ſolum Deum eſſe iuſtum iudicem, eò quòd non iudicet ſecundum dicta vel facta, ſed ſecundum corda & renes. Iudicia humana plerumq; fallunt, quia falluntur ipſi iudices: non fallit autem iudicium Dei, quia non fallitur Deus, probans corda & renes.

4. Quarto. Etiam notandum eſt, quòd non dicit, Qui probare potes corda & renes: ſed, Qui probas corda & renes. Non ſolum illi facultatem hanc, ſed & ipſum opus tribuit: ſicut & ſuprà de iudicijs Dei dixi.

B 5. Quinto. Expendendum etiam eſt, quomodo particula hæc partim nobis ad hoc ſeruit, vt ſincero corde agamus cum Deo & hominibus, nec dicamus, Deus non intelligit: partim etiam ad conſolationem facit, contra reprobos, qui nos falſo accuſant, vt ſecura conſcientia cauſam noſtram Deo cognitori omnium commendemus.

Scutum meum in Deo, qui ſeruat rectos corde.] Videmus hic uſum fidei huius, qua Deum credimus eſſe probatorem cordium. Ad quid nobis conducit, quòd cordium noſtrorum rectitudinem probat? Quid ſi hoc per curioſitatem facit? Nequaquam. Facit hoc tãquam Deus & iudex iuſtus, vt reprobos perdat, ac rectos corde ſeruet: quod etiam facit. Quapropter notandum eſt, quòd non dicit: Qui ſeruare poteſt: ſed, Qui ſeruat rectos corde.

OBSER. 5.

- 11. Deus iudex iuſtus, & Deus irafceus per ſingulos dies.
- 12. Niſi conuerſus fuerit, gladium ſuum acuet, arcum ſuum intendet, ac diriget illũ.
- 13. Et parauit ſibi inſtrumenta mortis: ſagittas ſuas in perſequutores fabricatus eſt.

Et Deus irafceus per ſingulos dies.] Ebr. וְיָהוָה בְּכָל יוֹם וְיָהוָה אֵלֵינוּ אֵלֵינוּ גֵּרָעִים וְיָהוָה אֵלֵינוּ אֵלֵינוּ גֵּרָעִים. Græc. καὶ ἰσχυρὸς καὶ μακροχρόνιος, καὶ μὴ ὀργῆς ἐπιτεταμένος. id eſt, Et fortis & patiens, & non inducens iram per ſingulos dies. Vulg. Lat. ſic: Et fortis & patiens, nunquid irafceus per ſingulos dies? Chald. ſic: וְיָהוָה אֵלֵינוּ אֵלֵינוּ גֵּרָעִים. id eſt, Et in fortitudine irafceus ſuper impios tota die. Arabs ſequitur Græcũ interpretem Hieron, Et fortis comminans tota die.

LECTIO. Verſ. 11.

Niſi conuerſus fuerit.] Ebr. אִם לֹא יֵשׁוּב אִם. Græcus: ἂν μὴ ἐπιστρέψῃ. id eſt, Niſi conuerſi fueritis. Sequitur hunc & Arabs & vulgata Latina Hieron. Non conuertenti. Recentiores quidam: Si non redimus. Alij ſic: Si à malo ille ſe non reuocet: vt ad Saulem referatur.

Verſ. 12.

Et parauit ſibi.] Ebr. יָרָה חֶבֶד. Græcus: καὶ ἔβη ἄροισμα: id eſt, Et in eo parauit. Hieron. Et in ipſo præparauit. Sic & Felix. Recentiores quidam: Accommodat ſibi ipſi.

Verſ. 13.

In perſequutores.] Ebr. לְדַלְקָה. Græc. τοῖς λοκαμποῖς: id eſt, Ardentibus. Sic & Latina vulgata Chal. ſic: לְדַלְקָה צַדִּיקִים, Perſequutionibus iuſtorum. Hieron. Ad comburendum. Verbum enim דַּלַּק vtrunq; & perſequi & ardere ſignificat.

Habent hi tres verſus comminationem irę Dei aduerſus impios ac violentos perſequutores, quorum caput erat Saul. Deus, inquit, iudex iuſtus eſt. Præmittit hanc particulam, quoniam de ira Dei ſubiecturus eſt, vt loqui intelligatur de ira Dei non iniuſta, ſed tali quę competat iuſto iudici. Sumit autem hic iram pro plaga & ſupplicio, ſignificans Deum quotidie pœnas ſumere de improbis.

EXPLA- NATIO.

Niſi conuerſus fuerit.] Nihil refert, ſiue de Saule hoc intelligamus, ſiue de Deo. Quaquam mihi ſimplicius videtur, vt de Saule intelligatur, tanquam capite malorum tum temporis. Gladium ſuum acuet, &c. Hypotypoſi quadam, plagas ab irato Deo timendas velut ob oculos exponit, dum Deum deſcribit iratum acuerẽ gladium, intendere arcum, parare ſagittas inortiferas. Omnino his verbis vtrunq; & certum & vicinum impijs exitium minatur: quod non ſolum dicit, gladium hæc.

Verſ. 12. & 13.

dium habet, arcum & vasa mortis & sagittas habet: sed vt eum iam velut in procinctu ad puniendum ac perdendum existentem describat, dicit eum acuerit gladium, intendere arcum, ac dirigere, & instrumenta mortis iam parasse, & sagittas fabricatum esse. Hæc monent, exitium impiorum iam iam è vicinio imminere. Et quoniam pœna illa impiorum non leuis, sed planè exitiosa erat, instrumentorum lethalium meminuit, gladij, arcus, & sagittarum.

**OBSER. 1.** *Deus iudex iustus.* Breue dictum, sed mirè potens & amplum, cum ad terrendum improbos, tum ad consolandum per iniuriam oppressos Deus quem nihil latet, iudex est: Deus qui personam non accipit, nec munera moratur, nec cuiuspiam potentiam reformidat, nec vilius humilitatem contemnit, iustus iudex est. Iudices huius seculi vel non iudicant, vel iniquè, vel saltem per errorem falsò plerumque iudicant. Ea res commoda est filijs huius seculi, incommoda bonis, pijs ac iustis. Contà, in cœlis iudex est Deus, isque iustus, & iudicans, & iustè iudicans. Hoc commodum est in fontibus, pijs & iustis: incommodum reprobis & impijs.

**OBSER. 2.** *Et Deus irascens.* Notandum est, quòd Deo iusto iudici iram tribuit, cum tamen ira nemini minus quam iusto iudici competere videatur. Sciendum igitur, duplex esse iræ genus: rectæ vnum, corruptæ alterum. Recta ira est, qua quis improbitati vt improbitati, cuiusque illa noceat, irascitur. Hoc iræ genus iusto iudici competit. Nequit enim esse iustus iudex, qui nec malis vt malis irascitur, nec bonis vt bonis delectatur. Corrupta ira est, qua quis vt læsus, non vt iustus, non malo, sed aduersario suo irascitur. Ea non competit iudici. Pulchrè igitur coniunctæ sunt à Propheta in Deo & iustitia iudicans, & ira puniens. Iustitia iudicans non permittit iram esse corruptam: ira puniens non sinit iustitiam iudicantem esse & inefficacem.

**OBSER. 3.** *Per singulos dies.* Leguntur multa irati Dei & malos punientis exempla in sacris Scripturis. Iam ne cogitemus Deum olim talem fuisse, iam non esse dicit Propheta *Deum irasci per singulos dies*: vt singulis diebus ira illius timeatur, & per resipiscentiam placetur. Nulla sunt hic iudicandi & vlciscendi interstitia, nullæ interapedines, nullæ induciæ, quia nulla est in hoc seculo abstinentia ac resipiscentia à malis. Quemadmodum igitur per singulos dies peccator absque vlla pœnitentia, ita Deus irascitur per singulos dies impœnitentibus. Tardus quidem est ad iram, singularium exemplorum respectu: in genere verò, si totum Mundum quem quotidie iudicat, respicias, rectè per singulos dies irasci dicitur, vt singulis diebus timeatur.

**OBS. 4.** *Nisi conuersus fuerit.* Notanda est conditionis huius adiectio. Describit quidem Deum iustum iudicem iratum, & iam iam arma sua ad puniendum parantem. Verùm adijcit: *Nisi conuersus fuerit*: improbus scilicet, à malicia sua. Ergo conuersione improborum placatur Deus, idque non initio tantum delictorum, sed etiam vbi iam iratus propter peccandi perpetuitatem & indefinitiam ad perdendum accingitur. Quid igitur expectandum aliud impœnitentibus, quam certum exitium?

Quòd non dicit, *Quia peccauit, & iniquè egit*, vel, *Nisi facta sua defenderit*: sed, *Nisi conuersus fuerit*: satis magnam clementiam etiam irati Dei exprimit, qui non tam ob id improbos puniat quòd peccauerunt, quam ob id quòd ad resipiscentiam à malicia sua non conuertuntur. Est itaque impœnitentiæ deputandum, quoties perduntur improbi. Notus est locus Ezech. 18.

**OBSER. 5.** *Gladium suum acuet.* Notanda est hæc hypotyposis, qua Deus gladio, arcu & sagittis ad perdendum impœnitentes armatur. Terribilis est gladius, terribilis arcus, terribiles sagittæ in manu potentis ac gigantis: quæ tamen vel declinari, vel retundi potest. Quanto magis timenda est armatura hæc, manu Dei ad perdendum apprehensa, quæ nec vitari, nec retundi potest: Sed desunt oculi fidei, quibus solis ista irati & armati Dei facies perspicitur.

14. *Ecce parturit iniquitatem, concepit adflictionem, & pariet mendacium.*

15. *Puteum effodit, & excauauit eum: & incidet in foueam quam fecit.*

16. *Conuertetur in caput eius, adflictio eius: in verticè eius, iniquitas eius descendet.*

**LECTIO.**

*Vers. 14.*

*Ecce parturit iniquitatem.* Ebr.  $\text{וַיִּלְדֵּת}$  Græcus  $\delta\epsilon\lambda\iota\alpha\mu$ : id est, iniustitiam. Hieron. *iniquitatem*. *Concepit adflictionem.* Ebr.  $\text{וַיִּחַדֵּת}$ , Græcus,  $\sigma\acute{o}\nu\sigma\mu$ : id est, laborem. Vulgata Latina, *dolorem*: sicut & Hieronymus. *Et pariet mendacium.* Ebr.  $\text{וַיִּבְרֵא$  Græcus:  $\kappa\alpha\tau\alpha\lambda\epsilon\gamma\alpha\ \delta\iota\omicron\mu\iota\alpha\mu$ : de est, *Et peperit iniquitatem*. Hieron. *Peperit mendacium*.

*Vers. 15.*

*Et excauauit eum.* Ebr.  $\text{וַיִּחְדַּדְהוּ$  Græc.  $\kappa\alpha\tau\alpha\lambda\epsilon\gamma\alpha\ \tau\omicron\upsilon\tau\omicron\upsilon\ \alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\tau\omicron\upsilon$ : id est, *Et effodit eum*. Sic & vulgata Latina, & Hieron. Chald.  $\text{וַיִּחְדַּדְהוּ}$ : id est, *Et sepulchrum suum*.

*Vers. 16.*

*Adflictio eius.* Ebr.  $\text{וַיִּחַדֵּת}$  Græc.  $\delta\ \sigma\acute{o}\nu\sigma\mu$ : id est, *labor eius*. Hieron. & vulgata Lat. *Dolor eius*.

**EXPLA-**

**NATIO.**

*Vers. 14.*

Etiam hi tres versus ad comminationem exitij, contra impij Saulis maliciosos conatus pertinent. *Ecce, inquit, parturit iniquitatem, &c.* Similitudine prægnantis velut ob oculos exponit irremissos Saulis conatus, quibus vitæ ipsius insidiabatur. Conceptui comparat cordis illius consilia. Vocat illa adflictionem, intelligitque persecutionem eam quam ferebat. Parturitioni comparat conatus perficiendi, quod mente conceperat. Illos vocat *iniquitatem*. Erat enim ipsa iniquitas, hominen non modò innoxium, sed & benemeritum, adhæc & generum, quærere ad mortem. *Parturim* vocat opus propositum. Huic, quoniam perficiendum non erat, tribuit *mendacium*. *Pariet, inquit, mendacium*: hoc est, non perficiet quod mente concepit, & tot improbis conatibus parturit. Non hoc autem duntaxat partui illius tribuit, quòd non sit pariturus eam iniquitatem quam parturiebat: sed quòd mendacium: id est, aliud quid quam quod cogitauerat & proposuerat, si editurus, videlicet suum ipsius exitium. Et hoc duobus sequentibus versibus clariùs exprimit. Primum similitudine eius qui in puteum quem ipse foderit, incidat. *Puteum effodit, inquit, & excauauit eum.*

*Vers. 15.*

Hoc

**A** Hoc idem est, quod antea similitudine conceptus & parturitionis delineauit. Puteum & foueam cuiuspiam parare, metaphorica loquutione idem est, atque exitium struere. Sic infra Psal. 57: Foderunt ante faciem meam foueam. & Psal. 93: Donec fodiat peccatori fouea. & Hier. 18: Foderunt foueam animæ meæ. Vt autem singulare illud & indefessum studium Saulis in parando exitio exprimat, quod præcedenti versu Parturienti verbo fecit: id hinc sic facit, ut non simpliciter dicat, *Puteum effodit*: sed adijciat, *Et excavaui eum*: hoc est, studiosè ad fundum usque, ut altissimus esset, aperuit & effodit: significans, Saulem tale ipsi parasse exitium, in quo profusus esset pereundum. *Et incidit*, inquit, *in foueam quam fecit*. Foueam quidem parauit Saul eamque altissimam: verum hanc non sibi ipsi, sed Dauidi parauerat. Iam cum in eam ipse incidit, certè mendacium peperit. Non enim suum ipsius, sed Dauidis exitium corde conceperat, & totis conatibus parturierat.

Versu 16. rem eandem apertius dicit, & ingeminat: *Conuertetur*, inquit, *afflictio eius*, quam mihi scilicet struit, *in caput eius*, & *iniquitas eius descendet in verticem eius*. Rem eandem bis dicit: nempe quod exitio quod parauit, ipse sit periturus. Loquutio illa, *Conuertetur afflictio eius in caput eius*: frequens est in Scripturis. Super caput venire, descendere, conuerti, est totum hominem occupare, à summo vertice ad imos usque pedes, quasi infundas aliquid capiti, quod totum corpus contingere velit. Ideo hinc Propheta in repetitione *verticis* meminit. Et nos Germani dicimus, *Es fomme dir auff deinen schedel*.

*Ecce pariuir, concepit, pariet.* 1. Principiò notandum est in hisce metaphoricis verbis, quàm sit in timum, feruens, irremissum & improbum malorum hominum studium perdendi pios & innoxios, quod corde cõceptum pertinacissimis conatibus ad affectum ducere nituntur. Conceptus rerum bonarum in mentibus reproborum non hærent, id quod in ipso Saule patet: qui 1. Sam. 24 innocentiam quidem Dauidis agnouisse, cumque illo in gratiam rediisse legitur: verum mox ad ingenium reuersus, iterum eum persequutus est, sicut videre est 1. Sam. 26: Denique cum secundo iam reconciliatus esset Dauidi, neque sic tamen à malicia sua destitit, quod etiam ipse Dauid futurum cogitabat: ideoque ad Philistæos se recepit, sicut 1. Samuel. 27. legitur, ubi ista scribuntur. Et nunciatum est Sauli, quod fugisset Dauid in Geth, & non addidit vltra querere eum. Perspicue significat Scriptura, non fuisse reconciliationem illam, licet secundo initam, in animo Saulis constantè ac firmam. Verum conceptus ille afflictionis, & parturitiõ iniquitatis, pertinax erat. Imò ne in bonorum quidem mentibus tanta est firmitas, tanta vis & improbitas, tanta sedulitas bonorum conceptuum, quanta est malorum, in animis reproborum. Exemplo sit non hinc modò Saul, sed & Iudas proditor, & scribæ ac pharisæi.

*Et pariet mendacium.* 2. Notandum hinc est, quòd non dicit, *Et pariet nihil*: sed, *Et pariet mendacium*.

**B** Non poterit esse partus, ubi nihil paritur. Sed pariunt tandem, qui iniquitatem parturiunt. *Et pariet*, inquit. Ergo omnino aliquid erat pariturus. Quid ergo parit, qui peccatus iniquitate grauidam ac prægnans gestat? *Et pariet*, inquit, *mendacium*. Primùm, id quod mente concepit malus, non parit, non producit in effectum. Deinde ne nihil pariat, quoniam omnino paritur, aliud ab eo parit quod parturiuit. Parturiuit exitium infanti, sed ecce paritur exitium sibi ipsi. Partus hic mendacium est: mendacium quo nec Deus, nec iustus, sed ipse fallitur, qui iniquitatem parturit. Mirabilis est hic partus, & accidit præter expectationem. Vnde Propheta non simpliciter dixit, *Paruirit iniquitatem*, &c. sed, *Ecce paruirit iniquitatem*, &c. Est autem hic reproborum partus quem propheta rectè mendacium vocat, omnino talis, qui condignè respondeat concepte iniquitati. Haudquaquam enim conuenit ut veritatem pariant, qui iniquitatem parturiunt. Sed obijciat aliquis partum scribarum & pharisæorum, deinde & Iudæ proditoris. Etenim illi Christum tandem occiderunt, & hic prodidit: sicut diu antea consultauerant, & facinus hoc parturierant: quod certè non videtur fuisse mendacium. Respondeo Occiderunt quidem illi, & prodidit iste. verum neutrum adscribendum est ipsorum conatibus, sed diuinæ dispositioni. deinde, ne sic quidem pepererunt quod volebant: volebant enim nõ modò corpus, sed & ipsum Christi nomè ac regnum deletum, imò pepererunt quod nolabant: Iudas sibi ipsi exitium, illi & sibi & toti genti miserrimam cladem ac perditionem. Ne veniant Romani, dicebant, & tollant nostrum locum & gentem. Hoc scilicet parturiebant. Sed quid pepererunt? Exitium scilicet per Romanos illatum. Quid hoc aliud erat, quàm mendacium parere.

*Puteum effodit, & excavaui eum.* 1. Etiam hoc notandum est, quòd non contentus est Propheta dixisse, *Puteum effodit*: sed, adiecit, *Et excavaui eum*. Impiis non est satis, malum per insidias utcumque parare, sed toti in eo sunt, ut grande & singulare malum struant. Sic sacerdotibus, scribis & pharisæis non erat satis, qualecunq; mortis genus Christo parare: sed tale pararunt, quod esset non modò corpori illius exitiale, sed & nomini ac doctrinæ illius summam ignominiam tanquam execrabile adferret. Verum non sine diuino consilio accidit hoc impijs. Neq; enim leue ac vulgare talibus debetur exitium. Digni erant, qui in profundissimam & graeolentissimam foueam caderent, in qua etiamnum iacent. Tale est, quod Aman lignum Mardocheo paratum, non hætenus tantum sublimauit, quatenus ad mortem Mardocheo inferendam satis esset: sed tam sublime erexit, ut haberet altitudinem quinquaginta cubitorum: Ester 5. Verum diuinitus hoc dispositum erat, quoniam talis exaltatio ipsi Aman debebatur.

*Et incidit in foueam quam fecit.* 2. Huius rei in Scripturis multa sunt exempla. Quid aliud accidit Pharaoni? Quid aliud Sauli? Quid aliud Absolomo? Quid scribis & pharisæis aliud? Talis est partus viperæ. Sunt etiam nostrorum temporum huius rei perspicua paradigma: quæ quia non sunt, transeo. Sic est à Deo constitutum, tanquam omnium iustissimo iudice, ut qui alijs foueam fo-

Vers. 16.

OBSER.

Vers. 14.

OBSER.

Vers. 14.

OBSER.

Vers. 14.

OBSER.

Vers. 14.

OBSER.

Vers. 19.

OBSER.

Vers. 19.

Goliath, Aman, Escher

7.8.

Hostes Dani-

nielis, Dan.

6.14.

Seniores acc-

usatores Sa-

lammæ.

dit, in eâ ipse quam fodit, incidat. Prou. 26: Qui fodit foueam, inquit, incidit in eam: & qui voluit lapidem, relabatur super eum. & Eccles. 10: Qui fodit foueam, incidit in eam: & qui dissipat seipsum, mordebit eum coluber: & qui transfert lapides, affligetur in eis: & qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. Et Eccles. 27: Qui foueam fodit, incidit in eam: & qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in eo. Facienti nequissimum consilium, super ipsum deuoluetur, &c. In summa, omnium est æquissimum, vt malum consilium consultori sit pessimum, & necis artifex arte sua pereat: ita vt hoc agnouerint & Gentes. Qui alij miscet venenum, omnium iustissimè de eo quod miscuit, ipse bibit: id quod cuiusdam Romani pontificis filio accidisse audio.

**OBSER. 5.** *Conuertetur in caput eius, afflictio eius.* Notanda est hæc conuersio. Consiliorum & operum humanorum, tam bonorum quam malorum conuersio est, in ipsum caput operantis. Quis autem ille conuersor est? Qui omnium nostrorum actorum & consiliorum iudex est, ad quem tendunt, & in cuius manu sunt cuncta, quæ facimus. Cœlitus descendunt, cœlitus redeunt quæ facimus, nimirum ad cœlos etiam ascendunt. Et in verticem (inquit) eius, iniquitas eius descendet. Quare nõ dicit, Ascendet? Ascendit quidem, sed prius in cœlum: deinde cœlitus descendit. Exhalationes sunt sursum tendentes, ac deinde per pluuiam descendentes, quæ facimus. Terra prius dat ipsam aquam, qua postea cœlitus vel perditur, vel irrigatur.

POSTREMA PARS PSALMI.

*Versus ult.* Celebrabo Dominum secundum iustitiam eius, & psallam nomini Domini excelsi.

**LECTIO.** Celebrabo] Ebr. ארדה Græc. ἑξομολογῆμα: id est, Confitebor. Sic & Hieronymus. & vulgata Latina. Chaldæus אשבח: id est, Laudebo.

**EXPLANATIO.** Hæc est postrema Psalmi huius sectio, qua Propheta δόξασθαι Deo dignam & competentem absoluit. Habet autem ista δόξα certain omnino spem futuri à Deo auxilij: Gaudebo (inquit) olim liberatus ab his malis. Etenim nemo laudat & celebrat sine gaudio. Deinde celebrabo non meam innocentiam, sed Dominum secundum iustitiam eius: id est, pro iustitia eius, qua me liberabit. Liberationem mei deputabo nomini Domini excelsi. Illud, secundum iustitiam eius, bifariâ intelligi potest. Vel de probitate illa ac bonitate Dei, quæ frequenter in Scripturis צדק: id est, iustitia vocatur: vel de iudiciaria illa iustitia, qua Deus iustè iudicando malos perdit, insones liberat. Certe vtique Dauid meritò celebravit, & laudibus extulit. Notemus interim quæ sit catastrophe ad afflictionem pijs & insonibus. In præcedentibus cecinit Propheta, quid maneat reprobos, qui ad afflictiones & iniquitatem parturiunt, nempe exitium. Iam quid sibi futurum speret, disertè ponit: talem videlicet exitum, cuius nomine laudaturus sit Dominum ac caraturus nomini Domini excelsi. Sic manet reprobos perpetua mœstitia, pijs & per iniuriam afflictatos sempiternum gaudium, quo Dominum laudaturi sint in perpetuum. Si ad hunc finem prospiceremus in rebus tristibus constituti, plurimum inde spei & consolationis animis nostris accresceret.

PSALMVS VIII.

PRÆCENTORI SVPER HAGITHITH,  
Psalmus Davidis.

Hagithith alij intelligunt *torcular*, alij *instrumentum Musicum*: quod postremum vero similis esse videtur.

ARGVMENTVM PSALMI, CVM DIVISIONE.

**C**ELEBRAT hoc Psalmo Propheta admirabilem planè philanthropiam Dei, qua ille genus humanum, in se admodum humile & miserum, primum typicè in Adamo, deinde verè ac perfectè in Christo super omnia exaltauit. Vt autem hanc Dei dignationem erga genus humanum amplifcet, prædicat primum versu 1. 3. & vltimo magnificentiam Dei, in cœli supernè lucentem, & in terris passim omnia adimplentem: deinde & hominis vilitatem considerat, versu 4. & hinc amplificationem petit celebranda philanthropiæ Dei, quam extollit versu 2. 5. 6. 7. & 8.

**VERS. 1.**



**DOMINE** Dominus noster, quàm præclarum est nomen tuum in vniuersa terra, quæ laudem tuam ad cœlos vsque extollit.

2. Ex ore paruulorum & lactentium fundas virtutem propter inimicos tuos, ad perdendum inimicum & suipsius ultorem.

**LECTIO.**  
*Vers. 1.*

Quàm præclarum.] Ebr. ארדה ארדה Græc. ὡς θεωμυσδρ: id est, Quàm admirabile. Chald. Quàm forte & laudabile. Hieron. Quàm grande: qui etiam initio Psalmi legit: Domine dominator noster, propterea quòd in Ebræo duæ sunt variæ dictiones, ארדה ארדה.

Quæ laudem tuam.] Ebr. אשר הגה חרוך Græc. ὅτι ἡ ἀρετὴ ἡ μυσθὰ ἀπὸ τῶν παιδῶν: id est, Quoniam exaltata est magnificentia tua. Sic legit & vulgata Latina, & Arabica versio. Chaldæus habet: Qui constituisti laudem tuam. Hieron. Qui posuisti gloriam tuam.

*Vers. 2.*

Fundas virtutem.] Ebr. יסדרת עו. Græc. καταρτίσω αἴνον: id est, Perfecisti laudem. Sic & vulgata Latina, & Arabs, & Hieron. Chald. Fundasti fortitudinem.

Domine

**A** Domine Dominus noster, quàm præclarum. ] Hoc primo versu Propheta immensam illam magnificentiam gloriæ Dei, in vniuersa terra passim omnium oculos incurrentem, velut vno internæ considerationis intuitu contemplatus, admiratur ac celebrat. Per nomen autem intelligit gloriam ac laudem. Illud, *Quæ*, terra scilicet, *laudem tuam ad cælos vsque extollit*: propter amplificationem magnificentiæ, in terra relucens adiectum est. Sic enim solet Scriptura ad cælos vsque exaltatum dicere, quod vehementer auctum & magnificatum est. Sic Psal. 106: Ascendunt vsque ad cælos, de illis qui marinis fluctibus in altum extolluntur. & 107: Magna est ad cælos vsque bonitas tua, & vsque ad nubes fides tua. Quanquam non repugnauero, si quis aliorum lectionem sequutus, intelligat Prophetam loqui de ea gloria magnificentiæ Dei, quæ in cælis, Sole, luna ac stellis reluceat.

EXPLA-  
NATIO.  
Vers. 1.

*Ex ore paruulorum & lactentium, &c.* ] Variæ considerationis est hic versus. Habent Ebræi suas cogitationes, quas alijs relinquimus. Et nostri variant, vt nihil certi queas ex illorum scriptis colligere. Dicam simpliciter, quid mihi cum nonnullis alijs videatur. Certum est, spiritum Prophetæ in hoc esse, vt magnificentiam Dei in terris passim eminentem ab illis agnosci dicat, qui magnorum, sapientum ac potentum respectu perinde sint abiecti & contemptibiles, atque si paruuli essent & lactentes: quos etiam *paruulos & lactentes*, per extenuationem causæ susceptæ accommodam vocat. Nec dubitarem, Dauidem & se quoque illorum numero adiungere. Qui iuxta seculum magni sunt, ac sapientes haberi volunt, vt toti in sua ipsorum gloria quærenda occupantur, ita diuinæ gloriæ contemplandæ oculos non habent: quos habent humiles, abiecti, & contempti. Facit autem hoc plurimum ad amplificandum magnificentiæ Dei splendorem, quod ille à paruulis & nihili hominibus agnoscitur & deprædicatur. Quod autem Scriptura *paruulos* aliquando eos vocet, qui ætate paruuli non sunt, manifestum est. 1. Reg. 3. dicebat Salomon: Ego sum puer paruulus, ignorans egressum & introitum meum. Et Samuel ad Saulem, 1. Sam. 15: Nonne, inquit, cum paruulus esses in oculis tuis, caput tribubus Israël factus es? Et Hierem. 1: Ah, ah, ah Domine Deus, ecce nescio loqui: quia puer ego sum. Et in prophetis alicubi: Paruuli, inquit, (vbi etiam *דלילים* legitur) dominabuntur eis. Christus Matth. 11: Confiteor tibi pater Domine cæli ac terræ, quod abscondes hæc à sapientibus, & reuelaris ea paruulis. Quod autem hic additur: *Et lactentium*: sententiæ nostræ non aduersatur. Adiectum enim est ad intendendam extenuationem piorum in hoc seculo: quasi Prophetæ nō sit satis, eos vocare *paruulos*, nisi eos etiam *lactentes* vocet, qui inter paruulos sunt omnium minimi. Varia sunt paruulorum genera. Alij sunt ætate paruuli, in quibus etiam ipsis magna relucet & admiranda diuinæ providentiæ argumenta. Alij sunt paruuli non ætate quidem, sed intellectu Hoc sensu vtimur & nos Germani, dicentes, *Er ist ein lauterer Fint*. Rursus alij sunt paruuli nec ætate, nec intellectu, sed adfectu, nihil de seipsis sentientes: sicut ad Saulem dicebatur: Cum esses paruulus in oculis tuis. Denique sunt paruuli nec ætate, nec intellectu, nec affectu, sed aliorum existimatione tantum. Postremo, qui pij sunt, etiam affectu & iudicio proprio sunt paruuli. De postremis istis loquitur hic Propheta. Et hoc sensu præsens hic locus à Christo adducitur, Matth. 21. vbi sic legitur: Videntes autem principes sacerdotum & scribæ mirabilia quæ faciebat, & pueros clamantes in templo, Hosianna filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtique nunquam legistis illud: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem: Quis hic non videt, vsurpasse Dominum præsentem hunc locum non secundum literam, cum lactentes nō fuerint, & infantes, qui in templo clamabant Hosianna filio Dauid: sed pueri quidem, ætate tamen prouectiores, & in Psalmis Dauidicis instituti, sed secundum spiritum Prophetæ, qui hoc loco non ad infantes ac lactentes ætate, sed ad paruulos spiritu & existimatione respexit. Testimonium diuinæ virtutis dabant paruuli in templo, cui scribæ & pharisæi inimici Dei, ac vindictæ cupidi, viri sanguinarij, pertinacissimè resistebant: vt hic versiculus illis aptissimè sit à Christo obiectus. Tale quid videbat Dauid suo seculo fieri, deinde & spiritu ad futura Christi tempora prospiciebat. Videbat humiles & abiectos homines gloriam magnificentiæ Dei agnoscere ac prædicare, ac contra sapientes huius Mundi & potentes illi varijs modis aduersari, ideoque coram Deo condemnabiles reperiri: propterea quod ipsi agnoscere non sustinebant, quod agnoscebant homines paruuli & contempti: imò impugnabant etiam, & seipsos contra gloriam Dei vindicabant. Sic intelligo illud: *Propter inimicos tuos, ad perdendum inimicum, & suipsius vltorem*. Qui glorias suas sectantur, & eam quæ Deo debetur impediunt, vti que inimici Dei sunt: & quoniam pios diuinæ gloriæ vindices ac prædicatores persequuntur, vt suam gloriam vindicent, rectè *vltores suipsius* vocantur à Propheta. Deinde quoniam ista ad ipsorum condemnationem faciunt, sicut Niniuitarum penitentia Iudaicam impoenitentiam condemnat, *perditionis* verbum posuit Propheta, dicens: *Ad perdendum inimicum & vltorem*. Hic mihi sensus visus simplicior, præsertim cum à Christo ipso sit vsurpatus: quapropter illum retinere volui, saluo interim aliorum iudicio.

Vers. 2.

Isa. 3.

**B**, Domine Dominus noster. ] Notandum hic est, quod Dominum Deum, non simpliciter, & in genere, sicut omnium quæ in cælo sunt & in terra Dominus est, sed specialiter populi ipsius Dominum vocat, dicens: *Domine Dominus noster*. Affectus hic plurimum valet apud pios. Quoniam enim Dominum non tantum simpliciter omnium, sed & præcipue suum Dominum esse agnoscunt, vti que illi se planè & omnibus subijciant, opemque illius in omnibus implorant, & de gloria eius ex animo lætantur: sicut hic in Dauid videmus.

OBSER 5  
Vers. 1.

Deinde & hoc notabis, quod non dicit, *Domine Dominus meus*: sed, *Domine Dominus noster*. Omnino hic communem sibi cum alijs Dominum agnoscit. Coniungit se illis, quorum Deus peculiari-ter Dominus est. Sentit autem de populo Dei. Affectus hic Ecclésiasticus est, quo destituuntur hæretici.

Quam

Quam præclarum est nomen tuum in vniuersa terra, &c.] 1. Notemus primùm hîc piorum ingenium. Nomen Dei coram impijs certè præclarum non est, sed coram pijs tantùm: quibus oculi sunt ad considerandum magnificentiam potentiae, sapientiae, iustitiae & bonitatis eius, in hoc seculo. Et tamen, sicut ipsis apparet diuini nominis maiestas, ita illam celebrant, & in vniuersa terra præclaram esse dicunt.

2. Deinde expendendum & hoc est, qua fide, quaque securitate pij viuant in hoc seculo, in qua diuitias gloriae Dei passim expositas vident: cum interea impij anxij sint in multis. Etenim is animus, qui terram vniuersam ad cœlos vsque diuina potentia, sapientia, iustitia & bonitate refertam esse videt, & videndo admiratur ac stupet, non poterit vlla in re anxius reddi ac deiectus.

OBSER. 5.  
Vers. 2.

Ex ore paruulorum & lactentium fundas virtutem.] 1. Notandus est hic communis ille locus, cuius etiam 1. Pet. vltimo fit inētio, nempe, resistere Deum superbis, & humilibus dare gratiam: & secundum verba Christi, Matth. 11. abscondere veritatē suam à sapientibus ac prudentibus huius Mundi, ac reuelare eam paruulis. Sic hoc loco dicitur, virtutem: id est, firmum testimonium magnificentiae suae fundare, & corroborare ex ore paruulorum ac lactentium. Tale quid videmus etiam hoc nostro seculo, proinde atque temporibus Christi, in eo quod homines plebeij, indocti, pueri, ancillae lucem diuini verbi oculis apertis adspiciunt, quam interea magni & Seraphici doctores, potentioresque cum seculi, tum Ecclesiae primates, ne per transennam quidem videre possunt.

2. Deinde & hoc notandum est, quod non dicit, Ex ore paruulorum & lactentium fundatur virtus: sed, Fundas virtutem. Quis amouebit & amolietur, quod Deus ipse fundat? Reluctetur Orbis quantum volet, exurgant portae inferorum, & impendant omnes vires suas: scriptum est, Ex ore paruulorum fundas virtutem. Expende ipsas voces, quibus testimonium veritatis, ex ore paruulorum prolatum, exornat Spiritus sanctus. Vocat illud virtutem & robur: deinde tribuit illi foundationem: tertio facit Deum ipsum fundatorem. Quid poterit certius ac firmitus tribus aut quatuor verbis dici?

3. Tertio expendendum & hoc est, quam sanctorum mentes ob hanc causam exultent, sicut primùm præsens locus in Dauidē declarat, deinde & verba Christi Matth. 11. ostendunt, vbi spiritu exultans dicit: Confiteor tibi pater Domine cœli ac terræ, quod absconderis, &c. & primum caput prioris epistolæ ad Corinthios, satis multis indicat. Intelligunt pij hanc rem plurimùm facere ad commendandam diuinam maiestatem. Caro illa infirma magnificari cupiens in hoc seculo, à potioribus, doctis, sapientibus potentibus & nominatis viris extolli cupit, abiectionum præconia non moratur. Quare? Quia necesse habet aliena gloria illustrari, sicut omnia infirma. At longè alia est diuinæ maiestatis conditio. Illa perfecta in se est, nec cuiuspiam amplitudine amplificari potest, sed per hoc magis illustratur, quod quæ abiecta sunt, non contemnit, sed pro sua clementia euehit: & superbis non eget, sed potius gloriam eorum splendore maiestatis suae extinguit. Hoc vident sancti, ideoque ob hanc causam plurimùm exultant.

4. Quattò. Obseruemus etiam hoc, quod sublimes illos huius seculi deos, sapientes, potentes ac diuites, vocat inimicos Dei. Sic Rom. 8, Paulus sapientiam carnis vocat inimicitiam aduersus Deum. Hoc genus hominum Deo non subditur, sed perpetuò aduersatur.

5. Quintò. Neque hoc transeundum est, quod eos vocat וְיִדְעֵי id est vindices & ultores suis ipsius. Exēpla particulam hanc declarant, in scribis & pharisæis tempore prophetarum, Christi, & hoc nostro. Reuera sunt וְיִדְעֵי Quid aliud egerunt illi, quid aliud isti moliantur, quam vt seipos contra gloriam Dei vindicent? Testatur hoc sanguis innocentum, propter veritatem Dei effusus.

6. Sexto. Consideres etiam hoc velim, quod dicit: Ad perdendum inimicum & ultorem. Paulus. 1. Cor. 1. & destruendi & confundendi, & perdendi verba posuit, dicens: Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientum, &c. Item: Videte vocationem vestram, fratres quod non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ sunt stulta Mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia Mundi & contemptibilia elegit, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destruat, ne gloriatur vlla caro in conspectu eius. Hæc Paulus Ergo videmus hoc loco ad hoc fundare Deum virtutem suam ex ore paruulorum ac lactentium, vt perdantur inimici eius. Nemo itaque miretur, ex ore paruulorum Prophetarum, Apostolorum, puerorum in templo, & hodie eorū qui in hoc seculo sunt abiectissimi, tam firmum procedere veritatis testimonium, vt per illud intereant, confundantur, ac destruantur omnes aduersarij potentatus. Vidit hoc Paulus, deque eo gloriatus est 2. Cor. 10. dicens: Siquidem arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei, ad demolitionem munitionum, quibus consilia demolimur, & omnem celsitudinem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei. Quo erant illa arma, nisi virtus hæc ex ore paruulorum diuinitus fundata, ad destruendum ac demoliendum inimicos Dei: prædicatio scilicet Euangelij Dei, quam idem Apostolus ad Rom. virtutem Dei vocat, ad saluandum quidem credentes: verum iuxta ad perdendum incredulos, sicut 1. Cor. dicit eam esse stultitiam hic qui pereunt, potentiam verò Dei ijs qui salui fiunt.

3. Cum video cœlos tuos opus digitorum tuorum, lunam & stellas quas parasti.

4. Quid est homo, quod memor es eius: & filius hominis, quod visitas eum?

LECTIO.  
Vers. 3.

Cum video.] Ebr. כי אראה Græc. ὅτι ὄψομαι: id est, Quoniam videbo. Chal. כי אראה, Quoniam suspicio. Arabs: Quoniam vidi: Hieron. Videbo enim. Recentiorum aliqui legunt: Quoties video. quidam: Quum considero: quorum mihi lectio magis arrisit.

Quas parasti.] Ebr. אשר ברגנתה Græcus, ἃ σὺ ἰδὲς μνησθήσῃ Gr: id est, Quæ tu fundasti. Sic legit & Hieron. & vulgata Latina.

Cum

**A** *Cum video caelos tuos.* ] Ut amplifcet philanthropiam Dei, primùm extollit immensam illam diuinitatis maiestatem, in caelis relucentem : significatque se illius consideratione non posse satis admirari, quid sibi infinita illa maiestas cum homine misero & abiecto voluerit. Potuisset simpliciter dicere: Cum cogito, quàm sit magnus, quàm potens, quàm immensus & excelsus: verùm maluit in ipso opere Dei maiestatem illius extollere. Ideo non tantùm dixit, *Cum video caelos*: sed addit, *Tuos*. Deinde adiecit : *Opus digitorum tuorum*: item *Lunam & stellas, quas parasti*: vt admoneat nos, quid sit in ipsis caelis potissimùm considerandum, quod de diuina maiestate admoneamur, neimpe esse eos opus digitorum Dei.

EXPLA-  
NATIO.  
Vers. 3.

*Quid est homo, quod memor es eius* ] Subintelligendum hïc est: *Cogito, vel, Veni mihi in mentem*: vt dicam, *Quid est homo, quod memor es eius*. Est autem in Ebræo, primùm *אדם*, quæ dicitio *miserum & calamitosum hominem* significat, deinde *אדם*: id est, *Adam*: qua voce primæ nostræ originis admone- mur. Sic voluit Propheta genus humanum extenuare, vt philanthropiam Dei extolleret: quam notat dictionibus *memorandi & visuandi*, quibus omnem illam infinitam benevolentiam & benefi- centiam cõplectitur, quam in nos benignissimus Deus declarauit. Rem autem eandem bis dixit, pro cordis exuberantia Nihil enim aliud est *אדם*, quàm *אדם*: nec aliud intelligit per verbum *visuandi* quàm per verbum *memorandi*.

Vers. 4.

*Cum video caelos tuos.* ] 1. Notandum est hoc versu, quomodo pius animus, dum caelos suspicit, de maiestate ac gloria Dei admoneatur: cum interea filij huius seculi instar pecudum caelos videant, & de gloria Dei ne tantillum quidem admoneantur.

OBS. 5.  
Vers. 3.

2. Deinde obseruandum hoc est, quid in caelis Propheta videat, vnde maiestatem Dei colligat. Non dicit simpliciter, *Cum video caelos*: sed addit *Tuos*: deinde *Opus digitorum tuorum*: item, *Lunam & stellas, quas tu parasti*. Ergo tria videt Propheta in caelis, gloriam Dei repræsentantia. Primùm est, quod Dei sunt. Ipsa cœli possessio, ipsum ius, magnum argumentum habet diuinæ maiestatis, quam etiam infra 89 Psalm. deprædicat, dicens: *Tui sunt cœli, & tua est terra*. &c. Gloriantur seculi huius Principes de modica aliqua terræ huius portiuncula, illiusque dominium & quaecunque ius magnis titulis iactant: cum tamen non primi nec postremi, neque etiam veri sint ditionum suarum domini. Quæso quanta est eius gloria & maiestas, cuius ita sunt proprii ipsi cœli quemadmodum & mare & terra, vt ante ipsum non fuerint alterius, nec vnquam futuri sint alterius: vt à nemine possit hoc dominio priuari, vt in terra possessiones mortalium mutet, quando & quomodo voluerit. in caelos assumat, ac rursus excludat, quos vel recipiendos vel excludendos probauerit: ita t nec ipsi Rom. pontifices, qui cum hïc viuunt, alijs caelos vendunt, vnquam vel ad limina cœlestis ianuæ accessuri sint, nisi ipsi bene placuerit. Alterum est, quod opus digitorum Dei in caelis videt. Admonetur hïc pius omnipotentis Dei, quam etiam in symbolo fidei confitemur, dicens: *Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli ac terræ*. De eo quod non simpliciter dicit, *Opus tuum*: sed, *Opus digitorum tuorum*, vide infra Psal. 19 ibi: *Cœli enerrant gloriam Dei, & opus manuum eius annunciat firmamentum*. Tertium est, quod sapientiam illam infinitam in luna & stellis videt. Hanc notat, cum dicit: *Lunam & stellas, quas tu parasti*. Per verbum *Parasti* siquidem, non simplex ali- quod & quaecunque opus, sed opus singulariter, sapienter ac prudenter magno ordine ac deco- re magnaque diligentia formatum intelligit. Huc seruiat pijs mentibus lunæ ac stellarum aspectus, vt inde diuinæ sapientis admoneantur, quam stupeant & adorent, non vt curiositati vacent. Ergo Propheta tria hæc in caelis videt, maiestatem, omnipotentiam, & sapientiam diuinam planè & stu- pendam. Sed quibus oculis ista videntur? Fide, inquit *Apostolus*, intelligimus parata esse secula vera bo Dei.

Ed. 11.

3. Tertio considerandum & hoc est, quod Solis non meminit, cum ille sit omnium illustrissimæ cœlorum ornamentum, lunam & stellas infinitis modis excellens. Apparet hïc Prophetam de aspectu cœlorum non diurno, sed nocturno loqui. Per diem enim nec luna, nec stellæ, sed Sol vnicus apparet: nocturno verò non Sol, sed luna cum stellis in cœlo visitur. Documentum hoc est animi pijs, qui se nocturno tempore in contemplatione cœli, lunæ ac stellarum exercet: dum filij huius seculi vel somno grauati stertunt, vel bibunt & ebrij sunt, vel ludunt, vel libidini vacant, vel aliud nequitis genus obeunt.

OBSER. 5.  
Vers. 4.  
Et ipsa inter-  
rogationis  
formula,  
Quid est &  
affectum huius  
expressit.

*Quid est homo, & filius hominis.* ] 1. Obseruemus primùm hïc quibus nominibus mortales vocet. Non dicit, *Quid est sapiens, prudens, rationalis, & diuina illa creatura, ad imaginem Dei condita*: sed, *Quid est אדם, quid est אדם*, miser ille & calamitosus homo, miser & calamitosi hominis filius, & ortu videlicet à terra & puluere, & condicione miser & arumnosus? Certè huiusmodi consideratio nostræ vanitatis, humilitatis & miseris vtilissima pijs est philosophia, præsertim illis, qui sublimes personas gerunt in hoc seculo: qualis erat hic David, rex potens ac magnus in populo Dei. 2. Deinde expendenda est Prophe- tæ admiratio. *Quid est homo*, inquit, quod memores eius? duplici respectu, superno D. Maiestatis, infer- no humanæ vilitatis, in admirationem hanc rapitur, vt satis admirari nequeat, qua ratione infinita illa Maiestas Dei, tam misera hominis ac vili creatura singulariter delectetur. Radix admirationis huius est, quod insolens videtur, si potens, sapiens, opulentus, gloriosus, &c. infirmo, stulto, egeno & obscuro homine delectetur. Etenim communi sensu paria paribus congaudent. Itaque diuersitas illa prorsus infinita inter Deum & hominem, Prophetæ mentè in stuporem abripit, quoties de eo cogitat, quod Deus ille infinitus & excellentissimus misero homine delectatur. Quid autem ista admiratio operetur in animo pio, facillè potest expendi. 3. Tertio & hoc cogitandum est, quod non dicit, *Quid est homo, quod condidisti eum, quod pascis eum, quod in vna illum conseruas*: sed, *Quod memor*

memor

memor eius es, & quod visitas eum. Quod conditi sumus, pascimur, & in vita sustentamur, communia bona sunt & reliquis animantibus, quæ & ipsa ab eodem Deo quo nos & creata sunt, & aluntur. Verum aliqd omnino est quod Propheta hic prædicat. Memorem esse Deum hominis, & filium hominis visitare: pro eodem dictum est, quod est singulari dilectionis affectu & studio erga hominẽ esse præditum: idq; singularibus etiã beneficijs declarare. Etenim quæ chariora nobis sunt, illorum solemus cum primis esse memores, eaq; cum primis & singulariter subinde inuisimus, & potioribus etiã beneficijs afficimus. Sic Propheta cum vellet singulare hoc & eximium diuinæ dilectionis, dignationis ac beneficentiæ studium erga homines exprimere, vsus est verbis memorandi & visitandi. O quàm essemus felices, si nunquã stupendæ huius D. dignationis erga genus humanum obliuisceremur, propter quam reuera omnium meritissimè Deus dictus est φιλάνθρωπος: id est, amans hominis. Vnde & Paulus incarnationem Christi argumentum ac declarationem φιλανθρωπίας Dei Seruatoris nostri vocat, dicens: At postquam bonitas & φιλανθρωπία Seruatoris nostri Dei apparuit. Et ipsa sapientia Dei delicias suas esse dicit, vt sit cum filijs hominum. Huius diuinæ dignationis & philãthropiæ admoneamur, quoties singularibus beneficijs, deinde & virga disciplinæ visitamur. Admonebatur huius Iob, cum dicebat: Quid est homo, quod magnificas eum, & apponis erga eum cor tuum? visitas eum diluculo, & subito probas illum, &c. Stupeamus quoties de incarnatione verbi Dei admonemur, per quã nos Deus ita visitauit, vt Christus dictus sit יְהוָה: id est, nobiscum Deus. Deinde simul diabolicam illam maliciam in nobis obseruemus ac detestemur, quia fit, vt cum homines simus, pro quæ naturæ nostræ conditione homo hominem naturaliter diligere, illo quæ gaudere ac delectari debeat, incredibili peruerfitate magis sumus μισάνθρωποι: id est, offores hominum cum diabolo, quàm φιλάνθρωποι: id est, amantes hominum cum Deo. Quis hanc in cordibus hominum latentem maliciam non detestetur, si illam penitiùs introspiciat? Quæ perfidia hominis erga hominem, quæ atrocitas, quæ tyrannis, quis contemptus, quis neglectus reperiretur, si φιλανθρωπία obtineret inter homines? Et quid aliud à nobis requiritur præcepto philanthropi Dei nobis hominibus dato, quo præcipitur, vt proximum nostrum sicut nos ipsos diligamus, quàm vt philanthropi, non misanthropi: hoc est, non diaboli contra nos ipsos, sed Dei nostro ipsorum bono imitatores simus?

Titum. 3.  
Proverb. 8.

Iob. 7.

5. Et minuisi eum parumper à Deo: gloria & honore coronasti eum.
6. Constituisi eum dominatorem super opera manuum tuarum, omnia pedibus eius subiecisti.
8. Oves & boues omnes, & pecudes agri.
8. Volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.
9. Domine Dominus noster, quàm præclarum est nomen tuum in vniuersa terra.

LECTIO.  
Vers. 5.

Minuisi eum parumper à Deo. ] Ebr. מִנִּיטִי אֶת פָּאֹל מִן אַנְגֵּלִים. Græc. ἠλάττωσας αὐτὸν ἑκατὸν τι πᾶσι ἀγγέλοις: id est, Minuisi eum parumper ab angelis. Vulgata Latina: Minuisi eum paulo minus ab angelis. Et interpres epistolæ ad Ebr. quæ scripta fuerat Ebraicè, cap. 2. versionem LXX. non Ebræum contextum sequutus, & ipse legit: Minuisi eum paulo minus ab angelis. Chaldæus quoque sic: מִן מַלְאָכֵי אַנְגְּלֵי אֱלֹהִים. Et Arabs quoque legit: Ab angelis. Verùm Hieron. Ebræum sequutus sic: Minues eum paulo minus à Deo. Quoniam hæc lectio & cum Ebræo conuenit, & argumento Apostoli, quo in Epistola ad Ebræos Christum supra angelos extollit, non aduerfatur, malui legere cum Hieronymo & recentioribus interpretibus, Ebrææ linguæ gnaris, à Deo, quàm ab angelis.

Vers. 6.

Constituisi eum dominatorem. ] Ebr. הִתְּיָמְנֵהוּ אֱלֹהִים. Græc. κατατίθησας αὐτὸν ἐπὶ τὰ ἔργα σου: id est, Constituisi eum. Sic & vulgat. Lat. Hieron. Dabis ei potestatem: Reliqua nihil variant.

EXPLANATIO.

Minuisi eum parumper à Deo. ] Perspicuum est, Prophetam hoc loco respicere ad dignitatem Adæ concessam ante quam peccasset, & postea propter transgressionem D. præcepti amissam, qualis Genes. 1. claris verbis describitur. Quapropter quod dicit: Minuisi eum parumper à Deo: idem est ac si diceret, Parum abfuit quin Deum constitueris hominem. Hoc scriptura sic profert: Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum. Hoc sensu illud Parumper, non ad temporis, sed potiùs dignitatis ipsius diminutionem referendum est. Licet enim ad imaginem Dei constitutus sit homo, perfectionem tamen diuinitatis ac dominij non accepit. Nec cogitandum est, modicum discriminis inter Deum & Adamum fuisse, cum Adam etiam hac dignitate terreni dominij accepta, Deo fuerit infinito inferior. Verùm Propheta, vt propositam φιλανθρωπία Dei amplificaret, etiam ipsam hominis dignitatem hoc pacto amplificare voluit.

Gloria & honore coronasti eum. ] Gloria hæc est, dominium illud supra terrena acceptum. Verbo Coronadi, velut regem quandam describit. Hisce & sequentibus verbis declaratur, Prophetam nõ loqui de hominis diminutione, cum dicit: Minuisi eum parumper à Deo: sed magis exaltatione. Quomodo enim homo, qui aliàs nihil est, diminuetur, & quomodo ad celebrandam philanthropiam Dei faceret hominis diminutio? Rectè ergo subiicit: Gloria & honore coronasti eum, &c. Aliud est simpliciter minui, quod magnum fuit: & aliud, quod nihil fuit, ita exaltare, vt propè Deo factum sit æquale.

Constituisi eum dominatorem super opera manuum tuarum. ] Hoc versu explicat præcedentem, declarans quomodo dixerit hominem parumper minoratum à Deo, & gloria & honore coronatum. Deinde vt etiam dominium supra opera manuum Dei acceptum declaret, subiungit: Omnia pedibus eius subiecisti, oues, boues, pecudes agri, volucres cæli, pisces maris, &c. Terrestria nominat, siue illa in aère, siue in tullere, siue in mari sint;

**A** mari sint: cœlestia non nominat. Nec Scriptura Genes. 1. aliter habet, quàm ad hunc modum: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut præsit piscib. maris & volatilibus cœli & bestiis, vniuersaq; terræ, & omni reptili quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & foeminam creauit eos. Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam: & domini naminè piscib. maris, & volatilib. cœli, & vniuersis animantib. quæ mouentur super terram. Alibi dicit Propheta: Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.

Versus vltimus nihil habet aliud quàm repetitionem primi, qua celebratione nominis DEI eadem qua orsus est, Psalmum concludit.

Expositio hæc simplex, & Scripturæ conformis. Quod autem attinet ad locum Apostoli ad Ebr. cap. 2. sic sentiendum esse puto. Apost. consilium Dei penitiùs introspeciens, ea quæ de dignitate Adæ ante peccatum illi concessa, Scriptura habet, Christo tribuit. Nec immeritò. Nam is verè est, in quo amissa hominis dignitas non modò recuperata, sed & aucta est. Is verè dominium accepit in omnia, non terrestria tantùm, sed & cœlestia: non super bestias duntaxat, sed & suprâ Angelos exaltatus. Quapropter cautè legendus est Aposto. Non ita vsurpat hunc locum ad declarandam Christi gloriam, ut per omnia huc torqueri debeat: sed sicut solent huiusmodi Scripturæ, & prophetiæ etiam à reliquis Apostolis Christo dari, quatenus illi competunt, sic & Aposto. præsentem locum de Christo citat. Quis enim ferat, si Christo tantùm super bestias detur imperium? Rursus, quis ferat, si secundum diuinitatem dicatur Deo minor? Itaq; Apost. illud: *Minuisti eum paulo minus à Deo*: ad temporis diminutionem trahit, respiciens ad dolores mortis breui tēpore humanitùs toleratos. & quod sequitur, *Gloria & honore coronasti eum*, accommodat glorificationi post crucem acceptæ, quam & Philip. 2. descriptam videmus. Deinde illud: *Omnia subiecisti sub pedes eius*: quantum generalis & vniuersalis particula est, Omnia præter vnum DEVM patrem complectens, qui Filio subiecit omnia, relictis sequentibus de ouibus, bobus, &c. CHRISTO applicat: non quòd non etiam terrestrium, sed quòd non tantùm terrestrium sit Dominus: ad quem modum hac vniuersali particula etiam. 1. Cor. 15. vtitur. Ita putarim simpliciter intelligendum Psalmi huius locum, de dignitate Adæ primò supra terrena cuncta concessa: & simul Apostolo non resistendum, qui ista Christo tribuit: sed rectè considerandum, quomodo & quatenus hoc faciat.

Matth. 2. Ex Aegypto vocauit Filium meum.

*Minuisti eum.* Dixerat, *Quid est homo, & quid est filius hominis?* Iam verò non subdit, quis in se vel à se ipso sit homo, sed quis sit à Deo factus, quidq; dignitatis à Deo acceperit. Nò dicit, *Parumper minor est Deo*, gloriosus est & honoratus, omnia habet sub pedib. suis, dominator est operum tuorum: sed ut prædicet hanc homini dignitatem à Deo fuisse concessam, atq; ita *ἐλάττωσάν τινος* Dei declaret. *Minuisti eum*, inquit, *parumper à Deo, gloria & honore coronasti eum, constituisti eum dominatorem super opera manuum.* non addit, *Ipsius*: sed, *Tuarum.* Omnia subiecisti sub pedes eius. Diuinam dignationem erga hominem, non hominis in se dignitatem celebrat. Ex hoc fonte fluunt ista consideranda.

OBSER. V.

1. Principiò, ut cogitemus, quid per inobedientiam Adæ humanum genus amiserit, quoties inobedientiam & rebellionem creaturarum senserimus. Quòd enim creaturæ nobis partim sunt inobedientes, partim etiam horribiles, partim noxiæ quoq; ut non respondet illi dignitati Adæ initiò à Deo concessæ: ita nos admonere debet, quid per trāsgressionē diuini præcepti amiserimus: quàm indigni sint honore & gloria & obseruantia, qui Deo glorificatori facti sunt immorigeri. Rectè factū est, ut homo cum in honore constitutus, honorantem se Deum neglexit, factus sit iumentis similis: id quod ante oculos videmus quotidie.

2. Deinde. Sicubi pars adhuc quædam dignitatis huius vel nobis vel alijs fuerit, qualis apparet non modò in principibus, sed & reliquis mortalibus, quibus bestię ex parte subijciuntur, admo- neamur vnde ista nobis sit potestas: vtamurque operibus manuum DEI, tanquam operibus non nostris, sed DEI, cum gratiarum actione, subiectioneque DEO debita, non ad luxum, sed ad necessitatem.

3. Tertiò. Quatenus hic locus CHRISTO accommodatur per Apostolum, consideremus quid dignitatis humana natura in CHRISTO capite receperit: quomodo per illius obedientiam dignitas hæc non tantùm restituta, sed & in immensum sit aucta, accessione videlicet cœlestis etiam imperij, quod certè Adamo non erat traditum. Magnum est, habere nos Dominum in cœlis, cui omnis est à Patre tradita potestas, cui omnia tam cœlestia quàm terrestria & inferna subesse coguntur.

4. Quartò. Ad hæc expendamus etiam, quatenus hæc dignitas CHRISTI ad nos tanquam ipsius membra pertineat. Omnia nostra sunt, sicut Apost. 1. Cor. 3. scribit, propter Christum videlicet: regnatus & sedemus in cœlestib. cum Christo, Ephes. 2. verùm ista dignitas in nobis nondum apparet. Iure illam per Christum acquisiuimus, vsu & possessione nondum. Videmus impios in hac terra plus habere dominij & dignitatis in reb. terrenis, quàm pios: ferendum hoc est, donec à Patre in ipsam possessionem bonorum omnium introducatur.

5. Quintò. Admiranda est hoc loco sapientia Dei, & constantia diuini consilij. Voluit hominem esse in gloria: satan conatus est consilium Dei infringere: tantumque effecit, ut in honore constitutum genus humanum deiecerit in summam ignominiam, & ex felicibus, reddiderit miserimos. Verùm tamen non effecit quod voluit, sic vt per Christum lapsus iste non modò restitutus sit, sed & ad augmentum gloriæ cesserit.

PSALMVS IX.  
PRÆCINENTI ALMVTH LABEN,  
PSALMVS DAVIDIS.

**I**llud על מרת לבן, variè legitur. R. D. Kimhi dicit. Almvth duas esse dictiones in vnam contractas, vt fontet sit. per morte. Deinde dictionem Laben, ab alijs de quodam principe Gentium, ab alijs de stulto Nabal, vt לבן sit per inuersionem: גבל Nabal, quod tamen rejicit: rursus ab alijs de Goliath exponi, ita vt לבן legatur per iod, לבין. Goliath enim dictum esse אִישׁ חַיִּי. Et Chaldaeus interpres de Goliath intelligit. Sic enim reddidit: לשבחא על מרתהא דגבדא דיינפיק מברין משרייחה תרשבחהא לדרד. Ad laudandum, super morte viri qui egressus est è medio exercituum: Laudatoria Dauidis. אִישׁ רָם לַעֲרֻפִיּוֹן דָּבָר: id est, Super absconditis filij: quem vulgata Latina sequitur. Hieron. legit: Super morte filij. Felix Prat. Super morte insipientis: intelligens, opinor, de גבל stulto. Alij iuuentutem filij, alij incrementum filij legunt. Alij non vertunt Ebraicas voces, sed intelligunt eas de instrumento quodam musico, vel de initio carminis cuiusdam, ad cuius melodiam Psalmus hic fit cantandus: id quod mihi simplicius videtur. Etenim de Goliath intelligere has voces nequeo, propter versus 11. & 24. in quibus Sionis fit mentio, cuius inhabitator dicitur Deus, & in cuius portis Propheta omnem Dei laudem decantare proponit: cum eo tempore quo Goliath per Dauidem est casus, Sion adhuc fuerit in manibus Gentium, non Israelitarum. Sed in tanta varietate non modo nostrorum, sed & Ebraeorum, eligat sibi quisque quam sequatur sententiam.

ARGVMENTVM PSALMI.

**P**SALMV S hic omnino gratulatorius est, Deumq; ob id celebrans, quod gentes Israeli inimicas insigni victoria prostrauerit: quales Dauidi contra Philistaeos, Amorrhæos, Moabitas, Syros, &c. multa sunt diuinitus concessa.

Sunt autem affectus huius Psalmi varij. Initio in laudem diuini nominis prorumpit: deinde virtutem & iudicium eius in prosterindis gentibus celebrat: tertio hortatur populum Dei ad psallendum Domino: quarto rapitur ad orandum: quinto rursus victoriam contra gentes partem extollit: postremò Psalmum epiphonemate ad Deum contra gentes factò claudit.

VERS. I.



Elebrabo Dominum in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

2. Letabor & exultabo in te: psallam nomini tuo altissime.

3. Propterea quod inimici mei conuersi sunt retrorsum: & ceciderunt, & perierunt à facie tua.

4. Quoniam exequutus es iudicium meum, & causam meam: sedisti pro tribunali, iudex iustitie.

LECTIO.

Vers. 1.

Vers. 3.

Celebrabo Dominum. ] Ebr. אֲרַחֵם אֲרַחֵם Græc. ἄσπορονόηλον παρὰ τοῦ ἁγίου, quem Latina vulgata sequitur legens: Confitebor tibi Domine. Hier. Confitebor Domino.

Propterea quod inimici mei conuersi sunt. ] Ebr. בְּשׂוּב אֲרַחֵם אֲרַחֵם i. e. In conuertendo inimicos meos retrorsum. Sic legunt & Græcus, & vulg. Latin. Apparet autem positum illud בְּשׂוּב, pro בְּעִבּוּר יִשׂוּב: id est, propterea quod conuersi sunt. Hier. legit: Cum ceciderint inimici mei retrorsum.

Ceciderunt. ] Ebr. יִבְּסֻלוּ. Græcus, ἀδυναστούν: i. e. Infirmabuntur. Hier. Corruerunt.

EXPLA-

NATIO.

Vers. 1. & 2.

Celebrabo Dominum. ] Daobus primis versibus æstum cordis sui ad celebrandum Dominum gentientis effundit, cuius vehementiam non solum hisce verbis, Celebrabo, letabor, exultabo & psallam: sed & per ea quod dicit: In toto corde meo: item, Omnia mirabilia tua: quod tamen impossibile erar. Sed sic solet animus in laudem DE I accensus. Huc etiam facit mutatio personæ, qua non dicit, Omnia mirabilia eius: sed, Omnia mirabilia tua. Dicit itaq; Celebrabo Dominum in toto corde meo: i. e. Extollam, laudabo & de prædicabo Dominum ex intimis cordis mei affectibus, totis cordis mei viribus, corde pleno, vero, & profus ad laudem illius intento. Narrabo omnia mirabilia tua: expositio est. Etenim Deum celebrare, extollere & laudare, est mirabilia illius facta narrare & recensere.

Letabor & exultabo in te. Et hoc pertinet ad conditionem veræ laudis, quo toto corde fiat, vt ex intimo cordis gaudio prorumpat.

Psallam nomini tuo altissime. ] Hæc est cordis in Deo gaudentis exultatio & exuberantia, vt nomini Dei altissimi psallat & cantet.

Vers. 3.

Propterea quod inimici mei. ] iam consequenter subiicit, vnde & hanc ἀφοροζία Dei motus sit. Propterea, inquit, quod inimici mei conuersi sunt retrorsum. His verbis victoriam contra inimicos acceptam breuiter describit: Conuersi, vel potius auersi sunt retrorsum, ceciderunt & perierunt. Quasi ob oculos rem ipsam exponit. At ne videatur hanc suis ipsius viribus, tribuere victoriam, addit, A facie tua. Non dicit, A facie mea, vel exercitus mei: sed, A facie tua. q. d. Tu restitisti inimicis meis, tu corda illorum fregisti, tu pro nobis pugnasti, tuam, non nostram senserunt potentiam.

Vers. 4.

Quoniam exequutus es iudicium meum. ] Hoc versu iudicio Dei prostrationem hostium tribuit. Ad scribit igitur hostibus iniustitiam, sibi ac populo DE I innocentiam, & Deum inter vtranq; partem iusto iudicio decreuisse ac pronunciasse canit. Dicitur autem pro tribunali sedere Deus, tanquam iustus iudex, & causam suorum tueri, quando supplicium sumit de improbis illorum inimicis. Sic & Germani, quando vehementer improbi ferè præter omnem expectationem cadunt ac pereunt, dicere solemus, Gott ist im Gericht gefessen.

OBS. V.

Vers. 1. & 2.

Principio notandus est hic affectus Propheætæ, quod non in præsentem tantum gaudet, Deum suum celebrat, mirabilia eius narrat, ac nomini illius psallit: sed ista se porro facturum canit, dicens: Celebrabo.

**A** brabo, narrabo, letabor, exultabo & psallam: & interea tamen nullum tempus præscribit, quando ista sit, & quamdiu facturus. Sic comparata sunt corda piorum, quando sensu diuinæ bonitatis ad laudandum eum accenduntur. Nesciunt præsentia laude & gaudio contenti esse, sed quæ tum sentiunt & faciunt, in sempiternum se facere & sentire gestiunt. Nec præter rationem hic sensus & affectus inest piorum mentibus perpetuò sine fine in Deo lætandi, exultandi & psallendi, quando lætitia ista & exultatio diuinæ laudis perpetua sit futura in cœlis.

2. Deinde obseruandum hic est, quæ ad veram laudem DE I requirantur. Primum est, sensus beneficiorum DE I, quæ hic vocantur *mirabilia*. Alterum est, gaudium in Deo, ex sensu illo mirabilium eius ortum. Tertium est, exultatio & exuberantia cordis ad laudandum Deum. Quartum est, deprecatio mirabilium & beneficiorum Dei, ex toto corde profecta. Quintum est canticum soli nomini Dei extollendo consecratum. His conditionibus metiamur veram diuini nominis laudem, ac celebrationem.

3. Tertiò & hoc notemus, quòd dicit: *Narrabo omnia mirabilia tua*. Non solum ea narrare gestit, quæ suam ipsius salutem concernunt: sed omnia illa mirabilia Dei, quæ quouis modo gloriam diuini nominis illustrent, quibuscunque tandem profuerint narraturum se canit. Facile est ea celebrare, quæ nobis diuinitus impenduntur: sicut & facile est de illis gaudere & exultare: at ea quoque, quæ alijs mortalibus diuina beneficentia sunt præstita, ex animo de prædicare & extollere, eorum est qui magis gloriam Dei laudando spectant, quam propriam salutem.

*Propterea quòd inimici mei.* ] I. Notemus hoc versu, vnde sit populo DE I victoria contra inimicos. Non nostra facies inimicos auertit, prosternit ac perdit, sed virtus hæc DE I est. Nisi præcedat nos in bello facies DE I, nihil expectandum est aliud, quam vt auertamur, retrò corruamus, ac pereamus. Nequit enim fieri, vt populus Dei sine ope Dei vincat. Non deserit suos Deus, sed pro illis pugnat, nisi illo iratus auerferet. Si verò iratus populum suum deserit, nihil sperari potest aliud, quam vt prosternatur ac vincatur.

2. Deinde & hoc obiter expendendum est, quòd non dicit, *Propterea quòd inimici mei deleti sunt* sed, *Quòd conuersi sunt retrorsum, ceciderunt, &c.* Videtur durum, perdere mortales. At hic innuitur, hostes David's fuisse in armis, inuasisse populum Dei, ac venisse ad prosternendum & perdendum. Alioqui, quomodo conuersi fuissent retrò, & prostrati, nisi impetu bellico Israëlem adorti essent? Merito tales retrò conuertuntur, vt cadant & pereant, qui aduersis faciebus ad perdendum irruunt.

3. Tertiò, etiam hoc notabis, quòd non dicit, *Repressi sunt retrò, prostratiq; ac perditii à manu tua*: sed, *Conuersi sunt retrò, ceciderunt ac perierunt à facie tua*. Quis manum eius expectabit & feret, cuius ne faciem quidem sustinere potest? Si hoc potest facies Dei, quid non potest manus?

**B** Quoniam exequutus es iudicium meum ] I. Magnæ consolationis est hic versus, quo Deus iustus iudex proponitur, qui causam innocentum & oppressorum pro tribunali sedendo contra quosuis potentes, & quantumuis armatos, & ad bellum accinctos, & iam iam irruentes, vindicet. Interea tamen videamus, vt causa nostra sit talis, quæ possit contra inimicos nostros per iustum iudicem asseri.

2. Deinde notandum & hoc est, quòd causam populi Dei, suam causam: & iudicium totius Israëlis, suum iudicium vocat. Etenim omnino non persona tantum Davidis, sed vniuersus Israël ab inimicis circumiacentibus impetebatur. Loquitur ergo hic tanquam rex & caput populi Dei, & causam populi in se transfert, cuius etiam nomine bellis impetebatur. Sic causa nostra, ob quam à filijs huius seculi varijs modis inuadimur, reuera Christi, Davidis ac regis nostri est: non modò, sicubi tota affligitur Ecclesia, sed etiam si vnus & alter ex membris illius iniquè premantur.

5. *Increpasti gentes, perdidisti impium: nomen eorum delesti in seculum, & in sempiternum.*

6. *Inimici defecerunt gladij in perpetuum, & ciuitates destruxisti: perijt memoria eorum cum ipsis.*

7. *Et Dominus in seculum sedet: parauit ad iudicandum tribunal suum.*

8. *Et ipse iudicabit Orbem in iustitia: iudicabit populos in æquitatibus.*

*Perdidisti impium.* ] Ebr. אָבִירְתָּ אִיִּם. Græc. sic: ἀπέβαλες τὸ ἀσεβές: i. e. Et perijt impius. Sic legunt & Hier. & vulgata Latina. Arabs verò cum Ebræo legit: *Et perdidisti*: sicut & Chaldaeus.

*In seculum & in sempiternum.* ] Ebr. לְעוֹלָם וָעוֹלָם. Græc. legit: ἀς τὸν αἰῶνα, καὶ ἀς τὸν αἰῶνα τὸν αἰῶνα: i. e. In seculum, & in seculum seculi. Sic & vulgata Latina. Hiero. *In seculum, & iugiter*. Arabs quoq; cum Græco legit. Chald. לְעוֹלָם וָעוֹלָם: i. e. *In seculum seculorum.*

*Inimici.* ] Ebr. הַיָּבֵינִים. Græc. τῶν ἐχθρῶν. Vulgata quoq; & Hieron. legunt: *Inimici*. Chaldaeus בעֵלֵי הַבָּנָיִם. Arab. *Et cum caderet auctor innocitæ*. Quidam ex recentioribus, & Felix legunt: *Inimice*: vt totus hic versus apostrophæ habeat insultatoriam ad gentes.

*Defecerunt gladij.* ] Ebr. הַחֶבֶרֶת הַיָּבֵינִים. Græc. & vulgata consentiunt. Hier. *Complete sunt solitudines.*

*Perijt memoria eorum cum ipsis.* ] Ebr. הָיָה זִכְרוֹן. Græc. μετὰ ἤχου: i. e. *Cum sonitu*. Sic & Arabs. Chal. הָיָה זִכְרוֹן: i. e. *Ab illis*. Hier. *Cum ipsis*. Posset & sic legi: הָיָה זִכְרוֹן הַיָּבֵינִים. i. e. *Memoria eorum ipsorum: vel, Memoriam eorum ipsi.* Reliqua nihil variant.

Quoniam victoriam hostium, cuius supra versu 3. mentionem fecit, iustitiæ ac potentiæ Deitanquam iusti iudicis præcedenti versu 4. tribuere cœpit, ac dixit: *Quoniam exequutus es iudicium meum, & causam meam, sedisti pro tribunali iudex iustitiæ*: iam consequenter in eo pergit, vt iudicium illud Dei contra hostes quam fuerit potens & efficax, declaret. *Increpasti gentes*, inquit, contra me, & populum

OBSE.  
Ves. 3.  
Expendendum quam fuerint hostes Davidis & numero & belli viribus fortiores

OBSE.  
Ves. 4.

LECTIO.  
Ves. 5.

Ves. 6.

EXPLA.  
NATIO.

tuum improbè irruentes, *perdidisti impios* (sic enim singularis numerus positus est pro plurali) non tam nos quam te impugnantes. Deinde ut perditionis huius auxilium exprimat, addit: *Nomen eorum deleuisti in seculum & in sempiternum*. Intelligit autem per nomen impiorum existimationem illam, qua magni & gloriosi fuerunt in seculo. Significat hac particula, impios istos fuisse viros nominatos & gloriosos.

Vers. 6.

*Inimici defecerunt gladij.* Hic versus bifariam ut legitur, ita & exponitur. Alij legunt per apostrophem, & insultationem in aduersus hostes, ad hunc modum: *Num inimici defecerunt gladij in perpetuum? num ciuitates destruxisti?* Et respiciunt hoc sensu ad historiam, quæ legitur 1. Sam. 13. Cauerant Philistim, ne faber ferrarius esset in Israël, ne fortè facerent sibi Ebræi gladios & lanceas: ideoq; cum factus esset rex, ac populum eduxisset, non inueniebatur ensis & lancea in manu totius populi qui cum eo erat, excepto Saule & Ionatha filio eius. Huc volunt respicere Prophetam in præsentem versu, & Philistim hostibus impijs ad hunc modum insultare: *Num hostis gladij defecerunt in perpetuum?* quod. Nequaquam quod volebas, es consequutus. Gladij in Israël non defecerunt tam diu, quam volebas: nec ciuitates nostras destruxisti, sicuti conabar.

Alij legunt, sicut reddidimus, ut Deo tribuatur, quod gladios impiorum consumpserit in perpetuum, ac ciuitates eorum destruxerit, memoriamq; eorum euanescere fecerit.

Vers. 7. & 8.

*Et Dominus in seculum sedet.* Nam deinceps versibus 7 & 8. hoc Deo adscribit, quod regnum eius sit sempiternum: opponitque illud regno hostium quorum memoriam perisse dixit, quasi dicat: Ipsorum etiam memoria perijt: ac regnum Domini adhuc permanet, permanebitq; in seculum. Deinde tribuit illi etiam tribunal ad iudicandum paratum, additq; quod Orbem sit iuste ac rectè iudicaturus ne semel (antùm atque iterum aut aliquos duntaxat iudicare putetur, sed perpetuus & vniuersalis iudex agnoscat.

OBSER.

Vers. 5.

*Incepisti gentes, perdidisti impium.* Notemus hic, quod non dixit, *Percussisti gentes, perdidisti impium*: sed, *Incepisti gentes, perdidisti impium*. Magna vis est diuinæ increpationis. Non constat illa verbis inanibus, sicut ea quæ fit ab hominibus, sed virtute & efficacia perdati. Infrà Psalmo 76. dicit: Ab increpatione tua DEVS Iacob confopiti sunt & currus & equus. & Psalm. 80. Ab increpatione vultus tui pereunt. Et Psalm. 106. Increpauit mare rubrum, & exiccavit illud. Hanc virtutem increpationis & CHRISTVS expressit, cum ventos & mare increpauit, & increpando sedauit. Lucæ 8. & Spiritus malignos increpando eiecit. Nostræ increpationes, quia verbis tantùm constant, plerumque sunt inefficaces, sicut & benedictiones. At increpationes Dei vim habent perdati, sicut benedictiones saluandi.

Deinde & hoc obseruemus, quod dicit: *Nomen eorum deleuisti*. Quæri poterit hic, quomodo nomen impiorum Davidis hostium deletum sit, cum tamen etiam nomen retineatur in memoria, ideoq; Scripturæ inserta sint impiorum nomina, ne in obliuionem venire possint. Respondendum est, nomina hic sumi pro gloria & existimatione. Ideo non dixit, *Nomina eorum*, pluraliter: sed, *Nomen eorum deleuisti*. Existimatio impiorum deletur, quando diuino iudicio perduntur. Dum in flore sunt & regnant, suscipiuntur ab omnibus: percussi verò ac perdati diuinitus, omnem nominis gloriam vnà cum vita amittunt. Quod verò in memoria apud posteros sunt, ideo fit, ut admoneantur posteri, esse iudicem in cælis, qui impiorum & potentiam & gloriam seruat. Sic Pharaon, sic Saul, & similes in Scripturis memorantur, ut gloria diuinæ potentia & iustitiæ illustretur etiam apud posteros. Magna est filijs huius seculi nominis post mortem quoq; statuendi cupiditas. Incredibile est, quantum vesania, labori, molestia ac sumptuum huc impendat caro, ut splendorem nominis acquirat: ita ut inueniantur, qui mortem quoq; nominis studio subierint. Verùm miserè falluntur. Dum enim impiè agunt, pro gloria nominis ignominiam post mortem inueniunt.

Notab & hoc, quod addit. *In seculum & in sempiternum*. Non solum deletur nomen impiorum, sed ita deletur, ut nunquam restitui possit, sed deletum maneat, imò ignominiosum sit in sempiternum. Accidit nonnunquam permissio diuina, ut nomen boni ac pij viri aliquandiu obscuretur, & veluti sepeliatur: in sempiternum verò nequaquam deletur. Non est enim possibile, ut nomen piorum perpetuò obscuretur. Nunquam enim suo, sed DEI nomini perpetuò student: quod & perpetuò permanet. At impij, quoniam gloriae DEI nomine suo derogant, necesse est ut in sempiternum conijciantur ignominiam. Et reuera digni sunt impij, populi Dei hostes, & diuini nominis obscurores, ut non solum ipsi pereant, sed & nomen eorum deletur in sempiternum, & in summam ignominiam conuertatur.

OBSER.

Vers. 6.

*Inimici defecerunt gladij.* Notemus hoc versu, quàm subsistere nequeant increpante Domino, quàm tumis nominatorum & armatorum inimicorum gladij & ciuitates: imò ne memoria quidem: hoc est, terribilis illa recordatio & mentio, qua dum regnant, miseri terrentur, & propè exanimantur. Erant Philistim formidabiles Israëlitis, gladijs & ciuitatibus muniti, ita ut ad illorum mentionem & recordationem pauescerent, sibi ac reb. suis metuerent miseri. Verùm sub Davide ita sunt diuinitus increpati, ut perierint & ipsi, & gladij, & ciuitates, & memoria eorum. Quàm felices essemus, si hanc potentiam Dei fideli mente perpetuò inspiceremus!

OBSER.

Vers. 7. & 8.

*Et Dominus in seculum sedet.* Duobus hisce versibus notanda veniunt ista. 1. Primum, quod Deo regnum sempiternum tribuitur à Propheta, dum interea regna impiorum intereunt & euanescent. Lucundissima est hæc cogitatio pij mentibus. 2. Alterum, quod tribunal habet ad iudicandum. Apertissima coniunctio est regni ac tribunalis. Qui dominantur in hoc seculo, dicunt: *Sic volo sic iubeo, sit pro ratione voluntas*. Hi certè vel diminutionem potentia suæ iudicant vsus tribunalis: vel si illo vtuntur, vtuntur peruersè. Qui maximus & potentissimus est omnium, tribunal habet ad iudicandum paratum,

**A**tum, ne cuiquam vlla inferatur iniuria. Simul hoc dicto Propheta terrorem incutit reprobis, cum non simpliciter dicit, *Tribunal habet: sed, Paratus ad iudicandum tribunal suum.*

3. Tertium, quod iudicat etiam. Hic notandum est, quale iudicium tribuat Domino. Tribuit illi primùm vniuersale. *Orbem, inquit & populos iudicabit.* Quis hunc iudicem euadet? Ergo quęcunq; per vniuersum Orbem calamitates & mala mortalibus accidunt, **DE I** nostri sunt iudicia. Deinde dat illi iustum & æquum iudicium. *Iudicabit, inquit, in iustitia & æquitatibus.* Hac particula seruitur oppressis & adflictis per iniuriam. Miserrimum est, si iudicij iusti & æqui subuentu destituantur ij, qui per violentiam potentiorum opprimuntur in hoc seculo. Quoniam igitur hoc sæpenumero, imò creberrimè accidit in hoc seculo, multis nos Scripturæ locis Spiritus sanctus, diuini & iusti iudicij Dei meditatione consolatur.

9. *Et erit Dominus munimentum oppresso, munimentum in temporibus, in tribulatione.*

10. *Et sperabunt in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te Domine.*

*Et erit Dominus munimentum oppresso.* ] Ebr. וְיִיחַדְּךָ בְּשָׂבָב לְרַךְ. Græc. καὶ ἐν σπασμῶν ἐν ἡσυχίᾳ ἐσθλῶν. Vulg. Latina sic: *Et factus est Dominus refugium pauperi.* Hier. *Et erit Dominus eleuatio oppresso.* Felix: *Et erit Dominus munimentum inopi.* Vers. 9.

*In temporibus, in tribulatione.* ] Ebr. לְעֵתָהּ בְּצָרָהּ. Græc. ἐν ἀκαιρίαις, ἐν θλίψεσι. Vulg. Lat. *In opportunitatibus, in tribulatione.* Hieron. *Eleuatio opportuna in angustia.* Chald. בְּלִיְדֵי בְּלִיְדֵי. i. e. *In temporibus molestiæ.* Felix: *In tempore, in tribulatione.* Arabs: *In tempore tribulationis eius.*

*Et sperabunt in te.* ] Ebr. וַיִּסְתַּחֲבֹרְךָ. Græcus: ἐν ἡμῶν σῶμα ἐν ἡμῶν. Vulg. Latina: *Et sperent in te.* Hiero. *Et confident in te.* Vers. 10.

*Quoniam non derelinquis.* ] Ebr. בִּלְאֵדֶנְךָ. Græc. ὅτι οὐκ ἐγκατέλιπας. Vulg. Lat. *Quoniam non dereliquisti.* Sic legit & Hieron.

Duobus hisce versibus Propheta ad consolationem adflictorum, vsum eius fidei ponit, qua in præcedentibus Deo regnum sempiternum, tribunal ad iudicandum paratum, iustumq; & æquum iudicium tribuit. *Et erit, inquit, Dominus munimentum oppresso, &c.* Potest hic versus bifariam exponi. Primùm, vt intelligamus Prophetam canere, quo loco pijs & adflictis futuris sit **DE V S**: vt illud: *Et erit Dominus munimentum oppresso, idem sit atq; Et habebitur, censebitur, credetur Dominus munimentum oppresso.* Confugiet oppressus ad Dominum, tanquam ad munimentum suum. Deinde sic: *Et erit Dominus munimentum oppresso: id est, Et proteget & communiat Dominus oppressum.* Senfus hic posterior mihi magis arridet, propter sequentem particulam, *in temporibus, in tribulatione*: hoc est, opportuno tempore, tribulationis videlicet. Qui priorem sententiam malant, legant necesse est, *in temporibus tribulationis.* Quod dictionem בְּשָׂבָב: i. e. *munimentum* repetit, emphasi non caret. Exprimi enim hac repetitione Propheta non modò certitudinem eius rei quam canit, sed & affectum animi, munimentum hoc oppressorum summo cum gaudio plurimi facientis. Sic enim solemus ea repetere quæ vel magnificamus, vel affirmamus.

*Et sperabunt in te.* ] Quid **DE V S** sit oppressis, cecinit versu præcedenti: iam commodum subijcit, quomodo vicissim erga Deum affecti & animanti sint pij. *Et sperabunt, inquit, in te:* hoc est, pollebuntur sibi de te, quod non sis ipso deserturus, sed in tempore opem ipsis & auxilium collaturus. Deinde addit, non modò quinquam oppressi spem suam in Deum sint coniecturi, sed & vnde ad hanc spem veniant. *Qui nouerunt, inquit, nomen tuum.* Nomen Dei est, quod de illo prædicatur. Prædicatur autem de Deo, quod sit iustus iudex, quod sit bonus, fideiis suorum defensor, protector eorum qui ipsum quærent, &c. Ideo subijcit: *Quoniam non derelinquis quærentes te Domine.* Qui hoc, inquit, nouerunt, spem omnem in te ponent. Suauitatem affectus habet personæ mutatio, qua non dicit, *Et sperabunt in eum: sed, Et sperabunt in te, &c.* Vers. 10.

*Et erit Dominus munimentum oppresso.* ] Quæri potest hic: Quomodo possunt ista simul consistere, *munimentum scilicet & oppressio*? Si communit Dominus suos, quomodo sunt oppressi? Si oppressi, quomodo munimentum illorum est Dominus? Itaq; notandum est hoc loco, non esse pios verè oppressos, in se sc. & coram Domino in ipsa veritate, sed in specie tantùm, & quod ad conatus & propositum impiorum atinet. Nam etiamsi occidantur, nondum tamen sunt oppressi. Et ipsa protectio, qua suos Deus in tribulationibus tuetur, non ita comparata est, vt extra omnem sint adflictionem constituti. Exempla Prophetarum, Christi, & Apostolorum, satis declarant hanc particulam.

*Munimentum in temporibus: vel, in tempore.* ] Caro adflicta incipit de hac protectione Dei dubitare, vbi illa non confestim sentitur. Notandum itaque diligenter est, quod hic à Propheta est abiectum. Tempus communiendi & protegendi est, sicut & tempus adflictionis & crucis. In tempore succurrit Dominus: verùm determinatio opportunitatis huius non est nostræ cognitioni, sed diuinæ sapientię ac prouidentię deputanda. Non sinit nos tentari vltra quàm ferre possumus. At ipse nouit, quid & quàm diu ferre possumus: imò ipse dat vt ferre queamus, & hoc ipsum etiam auxilij vice est. Qui grauantur, confestim dicunt: Nequeo crucem hanc ferre diutiùs. Itaq; re ipsa videmus ad esse Deum adflictis, dareq; vt ferant, quod tamen testantur se ferre non posse.

Opportunitas ista succurrendi adflictis, duabus rationibus diuinitus ita dispensatur, vt non statim à cruce liberemur. Vna est, glorię Dei. Non enim ad diuini nominis gloriã faceret, si confestim adflictis succurreretur: facit verò, si postquam malum aliquandiu ita pressit, vt iam iam pereundum videatur, tum demum fiat liberatio. Etenim amplitudo auxilij diuini, ex præuia mali magnitudine

EXPLA= NATIO. Vers. 9.

OBSER. I.

OBSER. II.

rudine censetur & sentitur. Altera est dispensandæ salutis piorum. Sicut enim argentum igne purgandum tumdiu in igne tenetur, donec purgetur: ita & pijs necesse est tantisper adfligi, dum fide, spe, patientia, &c. purgatiores euadant.

OBSER.  
III.

In tribulatione.] Cogitemus hîc, quanta sit vtilitas tribulationum. Extra tribulationem nemo consolationis huius experimentum capiet. Tribulationibus non modò fides ac patientia nostra exercetur, sed & Deo datur opportunitas, bonitatem suam erga nos miseros declarandi. Tam itaq; abest vt tribulationes deprecari debeamus, vt magis conueniat illas cupidè complecti. David certè nec se ipsum nec Deum cognouisset, nisi tot fuisset tribulationib; & afflictionib; iactatus. Nulla mortalium amicitia verane sit, vel ficta, cognosci potest, nisi accedant afflictiones & res aduersæ.

OBSER.  
IV.

Et sperabunt in te.] Duo hi versus verè aurei sunt, idque duplici nomine: cum quòd & de Deo nos & de pijs iustrant. Dicit non potest, quàm vtilis sit & necessaria vtraque hæc scientia, vt sciamus quid suis sit Deus, ac rursus quo illi erga Deum sunt animo. Itaque quod hunc versum attinet, ista de pijs notanda veniunt.

1. Principiò videmus eos esse sperantes in malis & tribulationibus. *Et sperabunt*, inquit. Quid autem spes valeat, ac possit in animis afflictorum, norunt illi qui sunt experti. Miserrimum est, non solum adfligi, sed & nulla spe meliorum recreari. At pij non desperant, sed spe bona in medijs afflictionibus refocillantur.

2. Deinde, notemus in quem sperent. Nam plurimùm refert, in quem speres. Neque enim quælibet spes talis est, quæ certa sit, & non fallat. *Et sperabunt*, inquit, *in te*. Ergo in Deum sperant. Quem? Qui munimentum est oppressorum in tribulatione, & opportuno tempore succurrit afflictis. Si Deus fallere potest, fallax erit hæc spes. Non fallit autem, &c. huc pertinet illud Hierem. 17. Maledictus qui confidit in homine, &c. Et illud: Nolite confidere in principibus, &c.

Psal. 143.

3. Tertiò, obseruemus etiam vnde spes illa in Deum oriat, & qui sint isti sperantes. *Qui nouerunt*, inquit, *nomen tuum*. Suprà dictum est, quòd sit nomen Dei. Hic expendendum est, quòd sit nosse nomen Dei. Scientia nominis Dei, vnde spes ista nascitur, non est, quàm legendo & audiendo, sed quam vera & indubitata fide, ac viuâ experientia acquirimus. Etenim sine hac reliqua scientia humana studio acquisita, mortua est. Mortua scientia viuam hanc spem gignere non potest. Nequit igitur spes ista in Deum sine cognitione nominis Dei, viuâ illa & vera possideri à quoquam.

OBSER.  
V.

Quoniam non derelinquis quærentes te Domine.] Duo hîc notanda sunt. 1. Quid sit, non derelinquere quenquam. 2. Quid sit, quærere Dominum. Primùm, quid sit non derelinquere, non potest meliùs cognosci, quam si expendas quid sit amicum in necessitatibus derelinquere. Est autem hoc, cum primis illum animo vel contemnere, vel odio prosequi, & extinctum velle: deinde & omni auxilio & consilio destituere. Ergo non derelinquere, cum primum animo complecti beneuolo & amico, deinde omnibus viribus pro necessitate tueri. Cauendum tamen, ne postremum hoc sic intelligamus, vt putemus DEVM non ferre, vt aliquatenus pij adfligantur, cum sinat eos etiam occidi. Notum est dictum CHRISTI in cruce: DEVS meus, Deus meus, quare dereliquisti me? Vide infra Plal. 22. Alterum est, quid sit quærere Dominum. Primùm, quærere Dominum, est illum obseruare, & voluntatem illius inquirere, ac studiosè colere. Sic infra Psalm. 14. dicit Dominus de cælo prospicit super filios hominum, vt videat num sit intelligens quisquam, aut quærens Dominum. Et Hieremias 10. Dominum non quæserunt, ideo non intellexerunt. Deinde est, auxilium & gratiam illius quærere & inuocare. Sic 2. Paralip. 16. de Asa legitur, quòd ne infirmus quidem Dominum quæserit. Et Esaiæ 55. Quærite Dominum, inquit, dum inueniri potest: inuocate eum, dum propè est. Coniungantur ista, vt simus non modò inuocatores Dei, sed & voluntatis illius obseruatores. Nam hi demum sunt verè quærentes Dominum, qui illum vtroque modo quærunt, & hos ille non deserit vnquam.

11. *Pfallite Domino, qui habitat in Sion: annunciate in populis studia eius.*

12. *Quoniam inquirens in sanguinem, recordatus est eorum: non est oblitus clamoris afflictorum.*

LECTIO.  
Vers. 11.

In populis.] Ebr. כַּפְּרַיִם. Græc. ἐν τοῖς ἔθνεσι. Vulg. Latina: In gentibus. Hiero. cum Ebræo legit: In populis: sicut & Chald.

Studia eius.] Ebr. מַחְשָׁבוֹתָיו. Hiero. Cogitationes eius. Chald. מַעֲשֵׂיו id est, Opera eius.

EXPLA-  
NATIO.

Ad afflictorum.] Ebr. מַעֲשֵׂיו. Græc. τῶν πτωχῶν. Vulg. Lat. Pauperum. Sic & Hier. Felix: Humilium. Non est contentus Propheta, quòd per se Domino pfallere, ac beneficia eius populo exhibita deprædicare instituit, sed secum reliquos etiam pios omnes hoc idem facere cupit. Ideò hortatur iam Ecclesiam piorum redemptorum ac liberatorum, vt & ipsa Domino pfallat, ac studia eius annunciet. *Pfallite*, inquit, *Domino, qui habitat in Sion*. Vocat eum *habitatorem Sionis*, sicut & infra Psal. 74. & supra Ps. 2. Sion mons Dei dicitur est. Facit autem hoc non modò specificandi gratia, vt Israël's Deum significet: sed etiam ob id, vt Isr' aëlem accepti beneficij admoneat, quòd Deus in medio populi sui habitare voluit: de oq; sedem suam in Sion expulsis Iebusæis elegit, quò & tabernaculum & arcam, deinde & regni sedem transtulerat.

Annunciate inter populos studia eius.] Hoc est prædicare non modò in Israël, sed & reliquis populis omnibus beneficia Dei vobis impensa, stupenda videlicet opera eius, quibus populum suum perpetuò tuetur ac viduat, & p' idem magnificè è manibus impiorum liberauit. Sic enim opera illa, quæ non obiter & perfunctor' è, sed studiosè fiunt, studia vocantur.

Vers. 12.

Quoniam inquirens in sanguinem.] Et ἀπορωπῶν habet hic versus, quare Domino pfallere: & declaratione

**A**tionem, quæ studia illius annunciare debeat Ecclesia Dei. Primum, vocat eum דָּוִד בְּרִישׁוֹ: id est, *querentem sanguines*. Per sanguines verò intelligit non modò occasiones, sed & oppressiones iniquas innocentium ac piorum. In has Dominum tanquam iustum iudicem, qualem eum in præcedentibus descripsit, inquirere significat, dum eum vocat דָּוִד בְּרִישׁוֹ. Deinde prædicat de eo, quòd recordatus sit oppressorum, nec oblitus clamoris eorum: hoc est, quòd propter eos vindictam in reprobos exercuerit, & oppressos liberauerit. Sic vulgari loquendi modo suorum non obliuisci dicitur, qui illis in necessitatibus succurrit.

*Pfallite Domino.* ] 1. Principiò notandum est, quomodo duo hæc exigat ab Ecclesia Dei per diu. **OBSER.**  
nam beneficentiam è manibus impiorum tyrannorum asserta. Vnum, vt *pfallat*: alterum, vt *annunciet*. *Vers. 11.*  
Hæc duo coniunctim requirit à populo Dei. Primum, vt Domino pfallat: hoc est, vt laudes eius animo grato decantet, & gratias agat. Deinde, vt annunciet ac de prædicet studia eius in populis, notitiam veri Dei non habentibus. Ergo debet Ecclesia erectis sursum ad liberatorem suum animis pfallere ac canere: hoc est, sacrificium laudis offerre: deinde studio propagandæ gloriæ eius, & seruiendi mortalium saluti, mirabilia eius populis quibusuis annunciare. Sunt hæc duo talia, quæ sine intermissione debeant exerceri ab Ecclesia redemptorum.

*Qui habitat in Sion.* ] 2. Diuina hæc dignatio, qua inter mortales tam miseros & corruptos habitare voluit, nunquam satis est expensa. Voluit hanc Propheta commendare, ideòq; cum posset dicere, *Qui habitat in cælis*: dixit, *Qui habitat in Sion*. Et nos Christiani promissionem dignationis huius diuinæ habemus in Christo, per quem in nobis habitat Deus. Vide 2. Cor. 6. Etenim si propter tabernaculum & arcam in Sion habitare dicitur Deus, quanto magis in Ecclesia fidelium, in quorum mentibus per spiritum suum habitat? De spiritali Sion vide supra Psalmo 2.

*Studia eius.* ] 3. Tertio loco notandum est, quòd beneficia Dei, quibus populum suum liberauit & asseruit, studia vocat. Quam autem nihil negligentia, sed summam diligentiam ac sedulitatem studia includant, nemo est qui ignoret. Ergo non solùm ipsa externa opera Dei quibus suos tuetur, sed & mentis illius sedulitatem & voluntatis propensionem hanc nobis voce considerandâ & adorandam proponit: eamq; non semel tantùm atq; iterum declaratam, sed quæ perpetuò sese exerat. Sic studium vocatur, quòd crebrò & sine intermissione summa cum diligentia exercetur: & studiosum vocant, qui rei cuiusdam irremissa diligentia incumbit.

*Quoniam inquires in sanguinem.* ] 1. Nota hic, quòd non dicit, *Quoniam sciens, vel videns sanguinem*: sed, *Quoniam inquires in sanguinem*, vel sicut alij legunt, *Quoniam requirens sanguinem*. De hoc forsitan pauci dudiant, quòd Deo nota sint & conspicua cuncta mortalium facinora, vt ipso infcio nemo possit occidi, vel opprimi: quòd verò non solùm sciat, sed vlciscatur etiam, pauci sunt qui indubitatò credant. Rectè ergo ad huc in modum loquutus est Propheta. Nec dixit, *Quoniam vltor sanguinis*: sed, *Quoniam quærens sanguinem*. Qui infontes occidunt, aliquid prætexunt ne videantur occiflores sanguinis innocij. Deinde, sanguinis pauperum & adffictorum ita est in hoc seculo contemptus, vt plerunq; sine vlla æstimatione fundatur. Sciamus ergo, Dominum inuestigare causas infontum, vt illæ occulantur. Deinde, non ita contemnere sanguinem miserorum, sicut ille à filijs huius seculi contemnitur, sed studioffimam illius habere rationem. Nota est historia Abelis, Gen. 4. Deinde & Naboth, 1. Reg. 21. & locus ille Matth. 23. Vt veniat super vos omnis sanguis, &c.

2. Deinde & hoc notandum est, quòd dicit: *Recordatus est eorum*: item: *Non est oblitus clamoris oppressorum*. Notum est, non cadere obliuionem in Deum. At interea dum non vlciscitur, videtur obliuisci suorum. Contra huiusmodi tentationem corroboramur hac particula, qua nobis Deus in eo commendatur, quòd suorum non fit oblitus. Vide Esa. 49. locum huc facientem: Et dixit Sion, Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei, &c.

3. Tertio nec illud prætereundum est, quòd oppressis clamorem tribuit. Intelligit autem de clamore quem ad Dominum in angustijs faciunt. Licet igitur patiesites sint in aduersis, ad Dominum tamen clamant: & tam abest vt hoc ille ægreferat, vt per clamorem illorum moueatur etiam ad vindictam. Sic Christus, cum Luce 18. ad irremissam orandi sedulitatem hortari vellet, parabola viduæ cuiusdam vsus est, quam hisce verbis clausit: Audite quid iudex iniquus dicat. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis: Dico autem vobis, quòd citò facturus sit vindictam illorum. Vide etiam Exod. 22. de clamore viduarum. At hic clamor fidei est. Etenim sine fide, nemo oppressus sedulo clamabit ad Dominum.

Deinde & aliud genus clamoris in Scripturis traditur, quo scilicet animæ ac sanguis occiforum piorum ad Deum clamant. Sic Apoc. 6. animæ interfectorum propter verbum Dei magna voce ad Deum clamare leguntur, ac dicere: Vt quequò Domine sanctus ac verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Clamor hic sanguinis est innocenter effusi, sicut de sanguine Abelis dicebat Deus: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: Gen. 4. Ipsa scilicet oppressio infontium, ipsa iniquitas impiorum, ad Dominum clamat. Nequit itaq; fieri, vt sanguis innoxiorum maneat inultus, cuius clamor ad aures Dei penetrat.

13. *Miserere mei Domine, vide adffictionem meam ab his qui oderunt me: exalta me è portis mortis.*

14. *Vt enarrem omnes laudes tuas in portis filie Zion: exultem in salute tua:*

*Vide adffictionem meam.* ] Ebr. רָאָה חַיְתִּי. Græc. ἴδου τὴν ταπεινωσίν μου. Vulgata Latina: *Vide humilitatem meam*. Chaldaus verò legit: רָאָה חַיְתִּי כִּי אֲרִיב. id est, *Vide adffictionem, vel tribulationem meam*. Et Hieron redidit: *Vide adffictionem meam*. **LECTIO.**

*Exalta me.* ] Ebr. *גָּבַהֵנִי*. Græcus, *ὁ ὑψώσῃ με*. Vulgata Latina: *Qui exaltas me.* Sic & Hieron. Chald. *אֲרִיבֵנִי*, quod Latinus interpres reddidit: *Exalta me.*

Vers. 14.

*Exultem in salute tua.* ] Ebr. *אֲשִׁיחֵן בְּיִשְׁעֵךָ*. Græc. *ἀγαλλίσσομαι ἐν σοὶ* id est, *Exultabimus.* Vulgata Latina: *Exultabo.* Sic & Hieron. Mihi verò, cum nonnullis alijs recentioribus, ad illud *לְיָמֶיךָ*, quod est initio versus, respiciendum, legendumq; videtur, & *Ut exultem:* vel, *Et exultem.*

EXPLA-  
NATIO.  
Vers. 13.

Duo isti versus precationem habent, velut exempli vice insertam, vt ad illius formam populus in huiusmodi necessitatibus ad Dominum clamat e assuesceret, ad quod eos suo exemplo inuituit, dum commemorat quibus ipse verbis in angustijs opem diuinam imploravit. Itaque versu tredecimo misericordiam & opem Dei implorare docet, cum dicit: *Miserere mei Domine.* Persuasus de misericordia Dei, ad illam in tribulationibus confugit, & quosuis adflictos confugere docet. Quare misericordiam imploret, subdit dicens: *Vide afflictionem meam.* Esse adflictum, est esse miserum. Miseria respectus est misericordiae. Tertiò, vt & afflictionem exprimat, adjicit: *Ab his qui oderunt me:* id est, inflictam ab his qui oderunt me. Sunt afflictiones meritæ, sunt immeritæ. Immeritæ sunt, & ad misericordiam mouendam fortiores, quæ non propter culpam, sed odio inferuntur. Quartò, post misericordiae implorationem opem petit dicens: *Exalta me è portis mortis:* hoc est, Libera me è potestate mortis. Sumitur enim *porta* in Scripturis pro magistratu & potestate, quòd in portis solent exerceri iudicia. Et quoniam potestas mortis regnum est inferorum, & mortui inferi, viui superi vocantur. Et quoniam potestas mortis regnum est inferorum, & mortui inferi, viui superi vocantur, volens petere vt morti ereptus in vitam hanc afferatur, dicit: *Exalta me è portis mortis.* Significat itaq; his verbis, tantam sibi afflictionem illatam ab inimicis, vt de vita desperarit, visusq; sibi sit iam morti traditus, & à potestate inferorum absorptus.

Vers. 14.

*Ve enarrem omnes laudes tuas.* ] Habet hic versus causam, ob quam per misericordiam Dei exaltari è portis mortis oret. Non dicit, *Vt in hoc seculo diuinijs viam, & delicijs huius vite adhuc amplius fruatur:* sed, *Vt enarrem laudes:* non meas, sed tuas: non modicè ac parçè, sed pleno ore, omnes videlicet: vt vniuersam liberationis huius gloriam & laudem tibi tribuam: & exultem non in meis viribus, nec in mea prosperitate, sed in salute tua, abs te mihi præstita: faciamque hoc non priuatim in latebris meis, & in corde meo tantum, sed in publico etiam, in portis filie Sion, in conuentibus ac cœtibus populi tui, vbi primores ac gubernatores conueniunt, vt illic nomen tuum magnificetur ac glorificetur. Ob hanc causam oro Domine, misertus mei, vide afflictionem meam, & exalta me de portis inferorum ac mortis.

OBSER.  
Vers. 13. &  
14.

Habent isti versus exemplum precationis, paucis quidem verbis contextæ, at interim plenæ, fidelis, adeoq; & efficacis: quam ex ordine parumper inspiciamus. 1. Principiò notandum est, quis hanc precem effuderit. Nulla fit vel regis, prophetæ, vel iusti, probi ac pij mentio, sed hominis adflicti, de vita periclitantis, ac sensu mortis perterrefacti. *Vide*, inquit, *afflictionem meam: exalta me de portis mortis.* Est ergo precatio ista hominis miseri, & in summis angustijs constituti. Certè huiusmodi animus adflictus, angustiat, ac mortis terrore pressus, nullius rei minus est capax quàm hypocriteos. Quæ orat, ex inimitis cordis penetralibus orat. Huiusmodi precationes vt sunt viux ac ferriæ, vim habent penetrandi ad Dominum. Frigidè orat, qui non tribulatus & adflictus orat.

2. Deinde notemus etiam, ad quem adflictus confugiat, cuiusque opem imploret. Plurimum refert quòd confugias, in necessitatibus constitutus. Nec ipsa acquirendi auxiliij necessitas, nec fidei Christianæ professio patitur, vt quolibet tribulatus confugias, & à quibusuis opem petas: sed vtraque cogit, vt Deum verum ac solum invocet. Non potest aliunde obtineri salus, nisi à solo Deo: nec debet homo pius aliunde petere, nisi à Deo suo, cui fidem hanc debet, vt ad ipsam ex animo in necessitatibus confugiat. Quapropter etiam si posset aliunde salus acquiri, nolit tamen animus pius aliunde iuari quàm à Deo suo. Sic Dauid hinc & vbique, sicut & reliqui sancti, ad Deum suum orat, dicens: *Miserere mei Domine.* Itaq; qui creaturas inuocant, & stulti sunt, & perfidi. Stulti, quòd aquam petunt è pumice: perfidi, quòd ex alieno & non legitimo fonte petunt.

3. Tertiò obseruemus, quid animus angustiat, à Deo suo petat. *Miserere mei Domine* inquit, Ante omnia misericordiam implorat. Neque hoc imprudenter facit, nec indebitè. Neque enim debetur nobis à Deo quicquam, sicut Paulus dicit: *Quis prior dedit illi, ac retribuetur ei?* nec destitui auxilio diuino possumus, si misericordiam Dei impetrauerimus.

Rom. 11.

Deinde orat, vt afflictionem suam videat: *Vide*, inquit, *afflictionem meam.* Non dicit, *Vide iniustitiam meam, vide regiam dignitatem meam:* sed, *Vide afflictionem meam.* Non erat illa Deo abscondita, cuius oculis cuncta sunt manifesta: ideoq; non orat Deum, vt simpliciter afflictionem suam videat, sicut omnia videt, sed vt illam oculis misericordiae suæ aspiciat. Hic respectus parens est auxiliij diuini. Potest hæc vox esse cuiuscunque adflicti, vt dicat, *Vide Domine afflictionem meam*, siue illa merito, siue immerito inferatur. Plus tamen ad commouendam misericordiam valet, si præter meritum ex sola reprobatorum malicia inferatur, sicut hinc factum videmus. Vnde & addit: *Ab his qui oderunt me.* Bis miserum est, ex odio reprobatorum adfligi. Primùm enim miserum est, præter meritum odio quorundam fieri obnoxium, id quod in se etiam pijs plurimum dolet. Deinde miserum est etiam adfligi, & ad mortem quæri. At quantò genus hoc afflictionis miserius est, & grauius, tantò accommodatius etiam est ad impetrandam à Deo misericordiam. Consequenter addit: *Exalta me de portis mortis.* Hoc est auxilium quod petit. Generalis petitio miserorum est, vt misericordiam consequantur. Quoniam verò varia sunt miseriarum, ideoque & auxiliij genera, rectè etiam hanc particulam exprimit, quale genus auxiliij petat: *Exalta me*, inquit, *de portis mortis.* Tria sunt hinc notanda. Primùm, quòd mortem deprecatur. Quomodo id pijs coueniat, etiam supra Psalm. 6. annotatum est. Deinde quòd morti portas: id est, regnum & potentiam tribuit. Magna est illius vis, & ineluctabilis potètia.

Tertiò

Tertiò, quod agnoscit Deum vitæ ac necis esse Dominum, qui è portis mortis eripere queat: ideo- que & firma fide opem hanc ab illo petit: vt intelligamus, hanc petitionem non solùm carnis infirmitatem, sed & fidei respere sinceritatem. Simul etiam pulchrè innuitur, tum demum tempestiuum esse auxilium Dei, quando malum videtur esse deploratum.

4. Quartò, obseruanda est etiam ratio, quam precationi suæ vers. 14. subijcit, dicens: *Vt enarrem omnes laudes tuas.* Sunt hîc ista notanda. Primùm, potissimùm viuendi desiderium fuisse Dauidi diuini nominis glorificationem. Sic suprâ Psalm. 6. Non mortui, inquit, laudabunt te Domine, &c. Deinde, vbi potissimum enarranda sit laus Dei. In portis, inquit: filia Sion. Laude Dei nullus locus vacuus esse debet: verùm ibi cum primis enarrari debet, vbi conueniunt populo Dei potentes ac iudices. At hodie ferè nulla est illius mentio, certè rarior, quàm alibi, in confessibus potentum. Tertiò, quòd non solùm dicit, *Exultem in salute:* sed addit, *Tua.* Nulla salus vnde cunq; acquisita, animum hominis verè exhilarare potest: potest autem salus à Deo accepta. Pium animum magis exhilarat gratia ac fauor Dei, quàm ipsum acceptum auxilium.

15. *Demersæ sunt gentes in fouea quam fecerunt: in reti quod absconderunt, captus est pes eorum.*

16. *Innotuit Dominus, iudicium fecit: in opere manuum ipsius illaqueatus est impius. Higaion Selah.*

*Demersæ sunt gentes in fouea.* ] Ebr. *בְּשֵׁרֵי מַיִם בְּשֵׁרֵי מַיִם*. Græc. *ἐν πύλαις τῆς θανάτου ἐν πύλαις θανάτου*. Vulgata Latina: *Infixæ sunt gentes interitu.* Hieron. *Demersæ sunt gentes in interitu.* Significat autem *מַיִם* foueam.

LECTIO.  
Vers. 15.  
Vers. 16.

*In reti.* ] Ebr. *בְּרֶשֶׁת*. Græc. *ἐν πλέθρῳ τῶν ὀφθαλμῶν*. Vulgata Latina: *In laqueo isto.* Hieron. *In rete.*

*Innotuit Dominus, iudicium fecit.* ] Ebr. *יָדַעַתְּ יְהוָה וְיָדַעַתְּ יְהוָה*. Græc. *γινώσκεται καὶ γινώσκεται*. Vulgata Latina: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens.* Hieron. *Agnitus est Dominus, iudicium faciens.* Sanctes Pag. *Notus est Dominus, iudicium fecit.* Sic & Felix Prat. Chald. *גַּלִּי יְהוָה דָּן דַּבְּרָה*, quod Latinus quidem interpres reddidit: *Notum est Deo iudicium, quod fecit.* Potest autem & sic reddi: *Notus est Dominus iudicio, quod fecit.*

*Illaqueatus est.* ] Ebr. *שָׁרַח*. Græc. *συνάραχθαι*. Vulgata, Lat. *Comprehensus est.* Chald. *שָׁרַח* Corruit. Sic legit & Hieron. Sanctes ac Felix: *Illaqueatus est.* Est autem Ebræa vox è verbo *שָׁרַח* deducta, quod *illaqueare* significat.

*Higaion Selah.* ] Ebr. *הִיגָיוֹן*, quæ vox ab *הָגָה* deducta, quod *meditari* significat, *meditationem* sonat. Volui eam sic ponere, sicut in Ebræo habetur, propter interpretationum varietatem. Græcus interpres eam prorsus omisit, sicut & vulgata Latina & Arabs quoque, deniq; & Germanicus interpres. Hieron. reddidit: *Meditatione semper.* Chaldæe *לְעַלְמֵי דְּרִיכָא* id est, *Exultabunt iusti in secula.* Sanctes: *Meditatio in seculum est salus hæc.* Felix Prat. *Canticum Selah.* Bucerus: *Laus Selah.* Aug. Iustinianus: *Sonitu sempiterno.* Aug. hoc loco: Interponitur hîc, inquit, canticum diapsalmatis. Campensis paraphrastes sic reddidit: *Res procul dubio digna quæ imo reponatur animo.*

Iudicium Dei Propheta rursus hîc veribus canit, quo gentes illæ maliciosæ & impiæ interierunt. *Demersæ sunt gentes,* inquit, *in fouea.* Vtitur parabolis *foueæ* ac *retis*, quibus non fortuiti aliquid & qualescunq; sed studiosè & de industria concinnatū exitium significat. quale solet feris bestijs ltrui, quo capiantur ac perdantur. Ideo non simpliciter *foueæ* meminit, sed addit, *Quam fecerunt:* & de reti: *Quod absconderunt,* inquit. Certè qui foueam alicui fodit, & rete absconditè ponit, exitium de industria parat. Deinde non dicit, *In fouea quam fecimus:* sed, *Quam ipsi fecerunt:* nec, *In reti quod abscondimus:* sed, *Quod absconderunt:* nec, *In opere manuum nostrarum:* sed, *In opere manuum ipsius illaqueatus est impius:* vt æquitatem omnium iustissimam diuino iudicio tribuat, qua qui alijs exitium parauerant, illo ipso perierint ipsi. Posuit autem numerum singularem pro plurali.

EXPLA-  
NATIO.  
Vers. 15.  
R. D. Kimhî  
dicit hæc esse  
laudem Dei,  
quam se Pro-  
pheta in por-  
tis filie Sion  
narraturum  
dixit.  
Vers. 16.

*Innotuit Dominus, iudicium fecit.* ] More suo & piorum omnium interitum hunc impiarum gentium Deo tribuit, quòd is iudicio suo maliciam illarum sic puniuerit, vt suo ipsorum gladio perierint, ac populus Israël liberatus sit. Deinde, quo animo ista canat, perspicuè significat, cum dicit: *Innotuit Dominus.* Videbatur Dominus prorsus obdormiuisse, nec erat vllus nominis ipsius terror coram impijs istis gentibus, tantisper dum ad illarum maliciam conuiebat, populumq; suum misere adfligi sinebat. Verùm vbi versis velis gentes perdidit, ac populum suum liberauit, nominis illius maiestas magno cum terrore innotuit, cœpitq; gentibus illis esse formidabilis, quibus antea tanquam ignotus & obscurus fuerat contemptibilis. Id est, de quo exultat & canit, cum dicit: *Innotuit Dominus.* Adijcit, *Higaion Selah:* quibus dictionibus Dei populum admonet, vt diuini huius iudicij memoriam perpetuam retinere, deq; illo intentissimè meditari velint.

*Demersæ sunt gentes in fouea.* ] Principiò notandum est, quòd non dicit, *In fouea quæ fecimus:* sed, *Quam fecerunt.* Admonemur hîc, nō esse piorum, vt ipsi alijs, etiã impijs, foueas struant, & retia ponant: sed hanc magis esse illorū sortè, vt ipsi foueæ ac retia struantur. Clancularia exitia moliri proximis ne eorū qui de est, qui magnanimi ac generosi videri volunt, nedum piorum, sed eorū, qui non solùm perdere cupiunt quos odio prosequuntur, sed quoniam aperto Marte illis congregari non audent, insidiosis molitionibus vtuntur. Sunt aliquot nationes, quibus ista malicia peculiaris esse deprehenditur, vt non solùm veloces sint ad effundendum sanguinem, sed & natura quadam insidiosæ, velut vulpes ac serpentes: nō masculo & generoso animo prædant, sicut leones. De eo, quòd impij in fouea quam faciunt, demerguntur, vide suprâ Psalm. 7. vers. 15. Adijciamus hîc illud, vt caueamus, ne cuiquam foueam aperiamus, vellaqueos ponamus: ne hoc ipsum experiamur quod hîc Propheta canit. Satius est, vt de illis simus, quibus insidiæ ab impijs non nostro, sed ipsorum malo tenduntur, quàm

OBSER.  
Vers. 15.

OBSER.  
Vers. 16.

quàm de illis, qui dum alijs insidiantur, suis ipsorum consilijs & insidijs pereunt. **Innotuit Dominus.** ] 1. Notandus est hic modus, quo Dominus impijs gentibus innotescere dicitur, non mirabilis modò, sed reuera miserabilis, si perditionem impiorum hominum respicias. Aliter Deus suis, & aliter impijs innotescit: cum tamen omnipotentiam suam per Orbem vniuersum cunctorum mortalium oculis obijciat. Suis innotescit benefaciendo, saluando, liberando, &c. Vt internam illam reuelationem, quæ verbi & spiritus est, taceam. Gentibus verò impijs, quæ non nisi visibiles deos norunt ac venerantur, inuisibilem & verum Deum non norunt, ideoq; populum Dei & irridet & persequuntur, tum potissimum innotescit, quando omnia illorum consilia & machinamenta, quibus veritati cœlesti ac pijs aduersantur & insidias ponunt, irrita: nec irrita modò, sed & ipsis perniciofa reddit. Sic innotuit Pharaoni & Aegyptijs, sic Gentibus Cœnaanitarum, &c. Quàm felices illi sunt, quibus non tanquam iratus & terribilis Dominus, sed tanquam benignus ac fidelissimus pater innotescit? Omnino necesse est, vt vnus hic ac verus Deus cunctis mortalibus innotescat, si non in hac præsentia, certè in futura vita: si non in gratia, vtq; in ira, si non ad vitam planè ad perditionem.

**Iudicium fecit.** ] 2. Notandum hïc est, quòd perditionem hanc impiarum gentium, non perditionem simpliciter, sed iudicium Dei vocat. Significat primùm, esse illam à Deo: deinde, esse omnium iustissimam. Esse à Deo, inde cogitari potest, quòd astuti isti ac vertuti homines contra sua ipsorum consilia ibi pereunt, vbi alijs insidias struxerunt. Quis hoc facit? Certè ipsi volentes ac prudentes in suas ipsorum foueas nunquam caderent: nec à pijs in illas trudentur, quibus plerumq; sunt ignota. Licet ergo, diuina illos dispositione excæcari & inebriari, vt suis ipsorum consilijs capiantur. Esse omnium iustissimam, tam est manifestum, vt à communi mortalium sensu probetur.

**Higaiou Selah.** ] Neq; hanc particulam transire debemus. Admonemur enim, huiusmodi iudicia Dei memori mente esse recolenda, ne simus instar pecudum quibus nullus est iudiciorum Dei intellectus. Bestia ù est, beneficijs Dei non nisi dum adsunt frui: priorù verò & cordatorum, nò modò præsentiu vsu delectari, sed & iugi præteritorum memoria ad fidei spei, ac patientiæ augmentù instituit: va in re potissimum est beneficij accepti emolumentum. Non laudantur vina illa, quæ vbi bibuntur, inter bibendum duntaxat arrident, postea verò nihil nec saporis nec virtutis præstant. Talis est vsus ille beneficiorù Dei, quorum nulla mentibus mortalium memoriâ relinquitur. Ita curandù est, vt secundum hanc Spiritus sancti admonitionè, iudicia & beneficia Dei iugiter recordemur.

17. *Conuertentur impij ad inferos: omnes gentes quæ obliuiscuntur Dei.*

18. *Quoniam non perpetuò obliuioni dabitur inops: expectatio ad afflictorum non peribit in sempiternum.*

LECTIO  
Vers. 17.

Conuertentur. ] Ebr. **שׁוּבוּ** Græc. **ἀποστρέψωσαν**: id est, Auertantur. Vulg. Lat. Conuertantur. Sic & Hier & Felix. Prat. Deinde & Græc. & Vulg. Lat. & Arabs, pro Impijs, legunt, Peccatores.

Vers. 18.

Quæ obliuiscuntur Dei. ] Eber, **שׁוּבוּ אֱלֹהֵי** Hieron. legit: Quæ obliuiscuntur Deum.

Expectatio afflictorum. Ebr. **תְּקוּוַת עֲנִיִּים** Græc. **ἐπιμονὴ τῶν πτωχῶν**. Vulgata Latina: Patientia pauperum. Hieron. Expectatio pauperum. Felix Prat. Spes mansuetorum.

Non peribit. ] Ebraicè tantùm habetur **לֹא תֵפֶיב** id est, peribit. Verùm **לֹא** id est, non, in priore versus parte, repetendum est. Vnde Chaldaeus sic reddidit: **לֹא תֵפֶיב לֹא** id est, Non peribit.

In sempiternum. ] Ebr. **לְעֹלָם**: id est, vsq; pro, In sempiternum & perpetuò: ad quem modum & Latini hac dictione, vsq; præsertim in carminibus, vtuntur.

EXPLA-  
NATIO.  
Vers. 17.

Conuertentur impij ad inferos. ] Consolationis vice breui futurum affirmat Propheta, vt impij & omnes impiæ gentes, nullam Dei rationem, nullamq; religionem illius habentes, morte opprimantur, & ad sepulchrum ac terram, vnde sumpti sunt, reuertantur. Sic enim intelligendum iudico, quod i. Ebræo est **לְשׁוּבוֹתָם**: id est, ad foueam, ad sepulchrum. Interea tamen non est exclusa conditio illa ac fors impiorum: quia mortui corpore quidem terræ, sicut & pij, animi verò cruciatibus debitis apud inferos puniuntur. Intelligit autem Propheta non de illis gentibus, quarum interitum hoc Psalm. o cecinit: sed in genere de omnibus peccatoribus & impijs gentibus, populo Dei inimicis, signifiçat q; non esse illorum conatus anxie timendos: quòd fieri nequeat, vt subsistant in hac terra, sed breui reuersuri sunt ad foueam, &c. Sic alibi dicit: Exhibit spiritus eius, & reuertetur in terram suâ: in illa die peribunt omnes cogitationes eius. Non canit hoc tanquam pœnâ impijs deputatâcùm & iustis ac pijs sit moriendû: sed quòd morte illorù dissoluantur omnia consilia contra pios tentata.

Psal. 146.

Quoniam non perpetuò. ] Rationem reddit huius consolationis, non dicit autem, Quoniam homines mortales sunt, quoniam impij sunt, vel, quoniam terra ac puluis sunt: sed, Quoniam obliuiscetur inops perpetuò, & afflictorum expectatio non peribit vsq;. Causam à bonitate Dei sumptam adfert, quòd illa nequeat de serere inopes & afflictos ad se clamantes. Significat igitur hoc versu, impij propter afflictos, vt illi liberentur, citius quàm ipsi putent, esse moriendum.

Vers. 18.

Conuertentur impij ad inferos. ] Notandum est hoc genus consolandi afflictos, illis qui per reprobos & impios adfliguntur, vehementer accommodum. Est enim omnium manifestissimum ac firmissimum. Quid namq; manifestius ac firmitus, quàm eos qui pro impietate sua Dei obliuiscuntur, & pro innata quadam malicia bonos adfligunt, non esse deos, sed mortales homines, breui mortuuros, & ad terram vnde sumpti sunt reuersuros, atque ita cunctam illorum maliciam velut in momento euanituram? Poterat alijs etiam argumentis vti ad consolandum populum Dei: sed hoc illi placuit, quod, vt dixi, & manifestum est, & certum: deinde & tale, quod quotidie innumerisq; modis fieri videtur. Vt quid igitur timemus bullas istas, breui nupsia cõparituras? Nec illud ociosum est, quòd

quod cum posset dicere, *Morientur impij*: maluit dicere, *Conuertentur*: vel, quod magis arridet, *Reuertentur impij* ad *אֲרָצָה*: id est, *sepulchrum*. Etenim hisce verbis perspicue nos admonet, esse impios illos quantumuis potentes ac feroces, terram ac puluerem, ac cito ad terram ac puluerem, vnde sumpti sunt, redituros: quorum gloriam ac maiestatem si quæras in sepulchro, non modò nullam, sed pro gloria ac maiestate terram, puluerem, putredinem, ac vermes inuenias.

Omnes gentes, quæ obliuiscuntur Dei. Notandum hîc est, quod gentibus tribuit obliuionem Dei. Nemo potest eius obliuisci, quem nunquam in mente habuit. Gentes illæ impiæ, idololatræ, & hostes populi Dei, Dei hîc obliuiscuntur. Ergo aliquando veri Dei cognitionem habuerunt, quam postea reliquerunt, obliuioniq; tradiderunt. Vtiq; sub Noah, reliquæ illæ totius Mundi, vnde cunctæ gentes originem ducunt, cognitionem veri Dei post diluuium habuerant, quam post diuisionem à se inuicem, cum in Orbem dispergerentur, obliuioni dederunt. Notat hoc in gentibus Propheta, isti que obliuioni cunctam illarum impietatem, qua & Deo & populo eius repugnabant, tribuit. Admonemur itaq; hoc exemplo, vt in retinenda memoria Dei non solùm ipsi vigilantes simus, sed & posteros nostros in illa quàm diligentissimè exerceamus. Etenim omnis impietatis & idololatriæ, omnium scelerum, & omnis immanitatis origo est ista obliuio Dei.

Quoniam non perpetuò obliuioni dabitur inops. ] 1. Obseruemus hîc obliuionis dictionem. Obliuio in Deum non cadit, cadit verò in homines, propter memoriæ imbecillitatem & imperfectionem, præsertim si floccifaciant quæ recordanda fuerant, vel si multitudine rerum sese inuicem succedentium adobruantur, vel si temporum prolixitate res ipsæ velut oblitterentur. Hinc fit, vt & magni domini, & qui multis negocijs occupantur, pauperum & adflictorum, etiam ad se pertinentium, siue per contemptum, siue alijs negocijs impediti, facile obliuiscantur. Itaque, quoniam hoc animo plerumque sunt inopes & adflicti, vt se à potentibus contemni, & si non mox iuuentur, nullam sui memoriam ampliùs apud illos superesse putent: Dominus autem omnium est potentissimus, & negociosissimus. ne pij in adflictione constituti, ob id se non statim liberari existiment, quòd nulla ipsorum apud Deum sit memoria: rectè affirmat Propheta, non esse inopem coram Deo obliuioni datum, nec perire adflictorum expectationem: ideoque breui futurum, vt hostes illorum & peccatores & impij ad sepulchrum reuertantur.

OBSER. Vers. 18.

2. Deinde & hoc notandum, quàm pulchrè duobus hisce versibus, gentibus obliuionem Dei sui tribuat, Deo autem obliuionem suorum adimat. Vnde admonemur, fieri posse vt homo obliuiscatur Dei conditoris sui, sicut & Israëlitis impropere ait Moses Deut. 32 dicens: Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es: Domini creatoris tui: Deum verò eorum quos condidit, obliuisci non posse. Seruiat hoc nobis primùm ad hoc, vt admiremur ac suspiciamus infinitam illam & inuincibilem bonitatem Dei: qua fit, vt cum toties à suis post innumera beneficia deferatur, obliuioniq; tradatur, nihilo tamen fecius ad se mortales perpetuò vocat, perpetuò beneficijs cumulat, & adherentes sibi complectitur. Deinde & ad hoc nobis ista consideratio faciat, vt stultitiam eorum expendamus: qui quoniam ipsi nulla præditi sunt memoria Dei, nihil sibi à Deo metuunt, perinde quasi & ipsorum apud Deum prorsus nulla sit memoria. Sic solet auis illa struthio stultescere, vt quoniam capite aliquò abdito neminem videt, se quoq; à nemine videri putet.

3. Tertio, nec illud transeundum est, quòd dictionibus istis, *Perpetuò & in sempiternum*, vtitur. Sic consulit Spiritus S. pusillanimitati adflictorum, qua modicam morulam, qua adfliguntur, caro hæc nostra sempiternæ miseræ iudiciam habere putat ita, vt quoniam Deus ad modicum tempus deserere videtur, in sempiternum deserturum existimet. Rectè ergo dicit: *Non erit perpetuò obliuioni inopi, nec adflictorum expectatio in sempiternum peribit*, quantumuis id carni videatur. Igitur omnino pollicetur hîc Spiritus sanctus futurum aliquando, vt inopi & adflicto succurratur.

4. Quarto, etiam illud expendamus, quòd dicit: *Expectatio adflictorum*. Impij in adflictione vel desperant, vel ad humana, & si illa non reluceant, ad diabolica consilia confugiunt. At pij, vbi adfliguntur, nec desperant, nec ad humana, nisi more licito, multo minus ad diabolica consilia, sed ad Deum suum cui fidunt, à cuius bonitate pendent, confugiunt, & ab illo opem expectant. Sic tribuit hîc adflictis expectationem Propheta.

In hac autem expectatione duo sunt, vnum carnis, alterum spiritus & fidei. Carnis est, desiderium liberationis & auxiliij. Commune hoc habent pij cum reliquis hominibus, cum quibus in ijs quæ naturam concernunt, communicant. Esurientes cibum, sitientes potum, infirmi sanitatem, captiui liberationem, nudi vestitum, tristes consolationem, adfl. At auxiliium, in mortis angustijs constituti vitæ conseruationem, & si qua sunt alia huiusmodi, secundum naturæ ingenium à Deo datum, perinde atq; reliqui mortales appetunt, malentq; ope præsentis frui, quàm futuram desiderare & expectare. Spiritus verò & fidei est, quòd adflicti opem à Deo expectant, & quæ impij quibusuis modis licitis vel illicitis quærunt, id ipsi à Deo vel cum primis vel solo petunt, & petentes patienter expectant. Hîc ergo diuiduntur à se inuicem pij & impij: & hæc causa est, quòd cum spes impiorum pereat, piorum expectatio perire nequeat.

19. *Exurge Domine, ne confortetur iudicentur gentes in conspectu tuo.*

20. *Incute Domine metum illis, cognoscat gentes homines esse se. Selah.*

Incute Domine metum illis. Ebr. *שִׁתַּחֲוֶה וְיִתְרַחֲוֶה בְּפָנֶיךָ יְיָ*. Græc. sic: *κατάσχεσε φόβον ἐν ὄψεσίν σου τοῖς ἔθνεσιν*. LECTIO. Vulgata Latina, *Constitue Domine legistorem super eos*. Hieron. *Pone Domine terrorem eis*. Sic & Chal. Felix prat. *Pone Domine iugum ipsis*. Varietas hæc est ex dictione *בְּיָדְךָ*, quam quidam à *יָרָה*, quod iaculari, docere & legem ponere: quidem à *יָרָה*, in *א*, mutato, quod timere significat, deducunt.

LECTIO. Vers. 20.

EXPLA-  
NATIO.

Psalmum Propheta epiphonemate satis ardentem claudit. Sentiebat insolentiam & arrogantiam gentium ex eo inualescere, quod conueniente Domino, impune quiduis tentarent, & successu quodam in conatibus impijs potirentur. Hinc enim vsq; adeo efferebantur, vt sine vlllo numinis metu, quasi dij quidam essent, populum Dei opprimerent, & contra Deum ipsum extollerent. Et quoniam istam arrogantiam & insolentiam non tam Israëli, quam diuinæ gloriæ detrimento esse sentiebat, ardentem affectu ad Deum clamat, dicens: *Surge Domine: hoc est, Exere potentiam tuam contra impios, declara te verum esse Deum & Dominum, vniuersis mortalibus. tremendum. Deinde vt exprimat id, quod animum ipsius vrgebat, addit: Ne confortetur homo: vel, vt alij legunt, Ne inualescat homo: quid idem est, atq; Vt humilietur mortalium fastus & arrogantia: Posuit autem numerum singularem pro plurali. Vnde & subiicit: *Iudicentur gentes in conspectu tuo.* Q. d. Sic eos Domine castiga & reprime, vt cunctis pateat, te esse iudicem omnium populorum & gentium, dedisse gentes istas meritas pœnas velut in conspectu tuo. Ad eundem scopum & sequens versus vltimus pertinet: *Incute, inquit metum illis: hoc est, Sic in eos exurge, sic pœnas de illis fume, vt posthac posito numinis tui contemptu, ad mentionem nominis tui pauescant: effice, vt tandem cognoscant, non Deos esse se, sed homines, discantq; humanæ infirmitatis metas non transgredi, nec contra Deum sese extollere.**

OBSER.  
Vers. 19.

*Exurge Domine, ne confortetur homo.* ] 1. Principio notemus, quod non dicit, *Ne confortentur principes, reges ac potentes huius seculi: sed, Ne confortetur homo, quem etiam hoc loco, sicut & supra Psalm. 8. vix id est, miserum & calamitosum vocat. Nec dicit, Homines: sed singulariter vix homo. Vniuersas gentes quantumuis multas ac fortes, vniuersos gentium reges ac principes, perinde atque vnum hominem, miserum & calamitosum, in conspectu Dei iudicat & intuetur. Etenim quod quisq; mortalium seorsum consideratus existit, hoc sunt singule & vniuersæ gentes: ne multitudo illarum quenquam terreat.*

2. Deinde notanda est humani ingenij malicia: quæ tanta est, vt vires noctæ, vsq; adeo contra Dominum insurgat, vt tempestiuum visum sit Propheta. Dominum ipsum contra arrogantiam miserorum hominum excitare. Alioqui, si vniuersæ gentes vix sunt, quid necesse est summam illam & infinitam maiestatem Dei contra illos excitare, cum eas omnes vnico nutu perdere possit? Quid faciet homo arrogans & insolens contra hominem æque miserum, si vires noctæ adeo redditur impius & arrogans, vt etiam contra Deum ipsum condicem suum exurgat?

3. Tertio, & illud notemus, quod non dicit, *Puniantur gentes: sed, Iudicentur gentes in conspectu tuo.* Orat quidem Propheta, vt corripiantur gentes: verum in iudicio. Nec punit aliter Dominus, quam cum iudicio: Addit: *In conspectu tuo.* Similitudo est sumpta ab ea consuetudine, qua hostes deuicti & capti in conspectu victoris regis iudicantur & puniuntur. Non dicit, *Iudicentur gentes in conspectu meo: sed, In conspectu tuo.* Sic omnem gloriam victoriæ Deo, non sibi tribuit, quem & victorem & iudicem gentium esse nouit.

OBSER.  
Vers. vlt.

*Incute Domine metum illis.* ] 1. Primùm notemus ex hoc versu, hinc esse potissimum impiorum hominum insolentiam & arrogantiam, quod nullo sunt metu Dei præditi. Et hic fons est omnis tyrannidis & impietatis.

2. Deinde & illud obseruandum quod non dicit, *Timeant te: vel, Curabo, vt te timeant: sed, Incute metum illis.* Non potest fieri, vt timorem Dei impijs quisquam incutiat, nisi solus Deus.

3. Tertio, etiam hoc expendendum est, quod dicit: *Cognoscant gentes, homines esse se. Selah adiectum, admonet diligenter expendendam esse præsentem hanc particulam. Etenim mirum videri potest, an sit quisquam mortalium, qui se nesciat esse non Deum, sed hominem. Verum admonemur hoc loco, vsq; adeo rerum successu & potentia extolli & efferrî hominem, vt naturæ suæ miseram, humilitatem, instabilitatem, mortalitatem & imbecillitatem non cognoscat amplius, sed ad diuinitatis gloriam aspiret. Exempla sunt in historijs. Et vitam nostri reges ac principes gentium tyrannorum vestigia non insequantur, sed cognoscant & se vnâ cum alijs esse non deos, sed homines.*

Quid autem sit, *cognoscere quod homo sis*, idque vix, sicut hic Propheta loquitur, non est opus accurata declaratione, cum sit manifestum. Est, vt breuiter dicam, humanitatis esse affectum, nec mente vltra humanæ conditionis modulos transcendere, ac de se supra quàm humana imbecillitas ferre queat, sentire, nec quicquam quod humanum sit, alienum à se ducere. Magna philosophiæ pars est, non obliuisci quis sis, vt conditioni propriæ seruire possis. Qui se seruum esse nescit, quomodo serui conditionem tenebit? Seruilis conditionis obliuio, animum serui ad fastigium dominatus extollit. Ad eum modum, qui se hominem esse oblitus est, facile ad diuinitatis maiestatem aspirabit. Est autem ista humanitatis obliuio insidiosa illis qui rerum potiuntur in hoc seculo, non illis qui multis miserijs premuntur.

Quapropter omnium commodissima ratio est docendi tyrannos opulentos, ac magnates huius seculi, quod non dij sunt, sed homines, si potenti manu Dei sternantur, humanisq; miserijs subijciantur, vt conditionis humanæ miseriam in carne & spiritu sentiant. Fabula quædam fertur de quibusdam fatuis, qui cum vnâ in ripa fluij cuiusdam confedisent, ac pedes quisq; suos aliorum pedibus coniunctos in fluium demisissent, cum surgendum esset, ignorare cœperint, vtri vtrius pedes essent: donec transeuntis cuiusdam baculo percussi, suos quisque pedes, sensu videlicet verberum admonitus, ad se traxissent. Consimili modo diuini iudicij baculo feriendi stulti isti tyranni, qui se homines esse nesciunt, vt vel plagis admoniti, miseriam humanam in carne sua experiantur ac cognoscant. Sic Nabuchad Nezar, sic Alexander magnus, sic Herodes mortalitatis & humanæ miseris conditionem experti, oculos tandem aperuerunt, quibus se homines esse viderunt.

Es kan sie  
Gott auff  
die menschen  
haut also  
schlagē / das  
sie ihr wider  
umb gewahr  
werden.

PSALMVS X.

ARGVMENTVM PSALMI.

PSALMVShic apud Ebr eos... Unde eum primūm Græca, dein & vulgata Latina ver- sio procedenti coniunxit: quæ res facit, vt in numerandis Psalmis ab Ebræis variet Ecclesia. Apparet autem Dauidem anxie ad Deum de impiorum, vel Saulis, vel eorum quos ille in aula sua homines impijssimos aluit & euexit, fastu, fraude, malitia, violentia & immanitate queri, qua se adflictum insi- diosissimè ac pertinacissimè ad mortem quærebant: simulq; opem Dei im- lorare, ac tandem bona fiducia non defuturum periclitanti auxilium Dei recreatum, Psalmum concludere.

Diuisio Psalmi.

Est autem Psalmus iste trimembris. Primūm enim Prop̄eta vndecim prioribus versibus grauit̄er con- tra impiorum superbiam, fraudem & crudelitatem queritur. Deinde vers. 12, 13, 14, & 15, auxilium Dei contra illos implorat. Tertio, tribus postremis versibus spe futuri auxilij concepta Psalmum concludit.



Vare Domine stas à longè: absconderis in tempore angustia?

VERS. I.

2. Per superbiam impij exagitur adflictus: comprehendantur in consilijs quæ cogitant.

Stas à longè. ] Ebræ. תעמר ברחוק. Vulgata Latina: Recessisti longè. Hier. nobiscum legit: Quare Domine stas à longè?

LECTIO Vers. 1.

Absconderis in tempore angustia. ] Ebræ. להסתתר בנגות. Græc. sic. ἀποκρύπτω ἐν ἀνάγκῃς ἐν ὀνείρω. Vulg. Lat. sic: Despicis in opportunitatibus in tribulatione. Hieron. Despicis in temporibus angustia. Chald. legit: תעמר i. e. Stas. & addit: בחצות חצות. In habitaculo sanctitatis tuæ. Felix: Occulaberis in tempore in tribulatione. Sanctes Pag. sic: Abscondis oculos tuos in temporibus, in angustia.

Per superbiam impij. ] Ebræ. בגאות דשע. Græc. ἐν ὑπερηφανείᾳ ἀνομιῶν. Vulg. Lat. sic: Dum superbit impius. Hier. In superbia impij. Sic etiam Felix. Sanctes: Propter superbiam impij.

Vers. 2.

Exagitur adflictus. ] Ebræ. ידלק עני. Græc. ἀναπύρξεται ὁ πτωχός. Vulg. Lat. Incenditur pauper. Hier. Ardet pauper. Chald. verbum ידלק retinuit. Sanctes: Persequutionem sustinebit pauper. Felix: Persequutionem patietur pauper. Verbum enim ידלק vtrunq; & persequi & ardere significat.

Comprehendantur in consilijs. ] Hier. In sceleribus. Sic & Felix. Sanctes: In cogitationibus, Chald. בגיברותא: id est, in fraude.

Quare Domine stas à longè? ] Exordium tentationem exprimit, quam inentes fidelium, etiam præ- clarorum virorum in tribulationib. sentiunt, dum aliquandiu impiorum malicia pressi probantur & exercerentur ita vt caro se contra spem de Deo protectore conceptam deserit & abijci p̄tet In huius- modi tentationib. erumpunt huiusmodi voces, quales hîc expressas videmus. Non solum dicit, Do- mine, stas à longinquo: sed, Quare Domine stas à longinquo? Etenim non modò deserit se, sed contra spem quoq; deserit quæritur. q. d. Domine quomodo à longinquo stare potes, dum de vita periclitor, cum omnem salutis meæ anchoram in te vnūm coniecerim?

EXPLA- NATIO. Vers. 1.

Absconderis in tempore angustia. ] Rem eandem bis, sed non ociose dicit. Videtur autem hæc particu- la sic legenda, vt להסתתר illud ad hunc modum repetatur: Quare absconderis in tempore angustia? Etenim phasim habet illud, In tempore angustia. Vt enim nunquam minus à longinquo stat & absconditur, qui verè dî ligit, quàm in tempore angustia, quo vel amicus, vel filius, vel aliàs charus periclitatur: ita videtur nunquam minus competere Deo, suis procul abesse, quàm dum in angustijs sunt constituti.

Vers. 2.

Per superbiam impij exagitur adflictus. ] Significat, quæ, cuius, & per quem sit angustia illa, cuius me- minit. Per adflictum intelligit seipsum, propter exilium in quod erat à Saule coniectus. Per impium, vel Saulem ipsum, vel Doëg, vel alios consimiles Sauliticæ tyrannidis satellites & administratos. Exagi- tationem vocat persecuutionem eam, qua indefinenter, perinde atq; passerculus vndiq; profligaba- tur, & passim ad mortem quærebatur, ita vt nusquam tutò consistere posset. Itaq; rem omnem sum- matim paucissimis verbis initio Psalmi complexus est, quàm consequenter latius explanabit.

Comprehendantur, inquit, in consilijs quæ cogitant. ] Imprecationem hæc expressit dolor quem in ani- mō eius incredibilis aduersariorum malicia, iniquitas & versutia peperit. Q. d. Dignissimi sunt Do- mine, qui suis ipsorum consilijs, quibus mihi aliàs admodum adflicto necem intentant, quàm cer- tissimè illaqueentur & capiuntur. Notat autem hisce verbis maliciosam astutiam & insidias in ad- uersarijs, quibus ipsi exitium indefinenter machinabantur. Non enim simpliciter consilia, sed, astuta & subdola consilia ברחוק hoc loco vocantur. Et verbum חשבו i. e. cogitant, significat hîc insidiosè ac maliciosè aliquid cogitare ac meditari.

OBSER. Vers. 1.

Quare Domine stas à longinquo. ] 1. Principiō expendendum est, quanta sit in animis piorum tenta- tionis huius grauitas, dum imminentibus impijs D E V S, in quem illi omnem fiduciam collocant, à longinquo stare videtur. Cogita quantus dolor pectus filij occupet, si dum vel in aquis, vel in igne periclitatur, cum succurrere posset, à longinquo stare, & ociose interitum suum cernere videatur. Tale quid imò grauius etiam sensit animus Dauidis, cuius dolorem hîc exprimit. Non dicit, Quare Domine imminent mihi impij: nec, Quare Domine deseror ab amicis? sed, Quare Domine stas à longinquo? Hoc e- rat omnium grauiissimum, quod Deus à longinquo stare videbatur, quem sperauerat futurum in o- mnib. aduersis quàm proximū, in quo vno spem omnem repositam habebat. Interea tamen non debemus putare, Dauidi Deum verè talem fuisse, qualis illi visus est in angustia. Non enim est Deus à longin-

h

à longinquo, sed à propinquo: deinde pollicitus est, non deserturum se suos. Mentiri non potest. Et se ipsa declaratum est, quàm illi non defuerit.

2. Deinde & illud nota, quòd dicit: *Absconderis in tempore angustia.* Observandus est hic gradus ac progressus tentationis. Primum Deus menti angustiat, quæ ad ipsum irremisse suspicit & suspirat, velut non subuenturus, procul stare: deinde inualecente tentatione, prorsus etiam abscondi videtur, ita ut nusquam vllus Deus appareat. Sic vesperi imminente nocte, sol procul diffusus postquam verò nox planè obtinere cœpit, totus abscondi, nec vquam rediturus, ac terram splendore suo illustraturus videtur.

3. Tertio, nec illud transeamus. In angustia constitutus Deum procul stare, deinde & prorsus abscondi putat: & tamen nihilo secius ad illum clamat, & bonitatem eius sollicitat. Vnde hoc, nisi ex insuperabili fideli virtute, quæ tantis tentationibus ad obruta superat & vincit?

OBSER.  
Vers. 2.

*Per superbiam impij exagitur afflictus.* 1. Vide quàm aptè Propheta impietati superbiam & crudelitatem coniunxit, dum aduersarios suos non impios modò, sed & superbos, & afflictorum exagitatores ac persecutores esse queritur. Impietas gignit vtramq; & superbiam & crudelitatem: sicut pietas contrà, animi modestiam, & benignitatem erga proximum parit.

2. Deinde & illud notandum est, quòd non dicit, *Per superbiam impij ego exagitor:* sed, *Exagitur ad afflictus.* Facit hæc particula ad mouendum commiserationem. Est enim, insontem non solum patria terra eijcere, sed eiectum etiam ad mortem pertinaciter querere, omnium miserrimum. Verùm vbi impietas cum agnata superbia regat, nulla tam immanis est crudelitas, quæ non locum habeat.

3. Tertio, de eo quòd dicit: *Comprehendantur in consilijs quæ cogitant,* suprâ Psalm. 7. vers. decimo quarto, decimo quinto & decimo sexto deinde & Psalm. præcedenti, vers. 15. 16. quædam sunt annotata, huc facienda.

3. *Quoniam laudat impius iuxta desiderium animæ suæ: & auarus benedicit blasphemans Dominum.*

4. *Impius elato vultu nihil curat: non est Deus in omnibus cogitationibus ipsius.*

LECTIO.  
Vers. 3.

*Quoniam laudat impius.* Versum hunc Græcus interpres sic legit: *ὅτι ἰταυῖται ὁ ἀμαρτωλὸς ἐν τῆς ἰταυῖται τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, καὶ ὁ ἀδύνατος ὁ ἀνομιῶν αὐτοῦ.* deinde postremam versus huius particulam abscissam facit in titum sequentis versus, ad hunc modum: *Ἐξacerbavit τὸν ἀμαρτωλὸν.* Sic legit & vulgata Latina: *Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Exacerbavit Dominum peccator. Hieron. sic: *Quia laudauit impius desiderium animæ suæ, & auarus applaudens sibi blasphemauit Dominum.* Chald. sic: *Quare iactatur impius super concupiscentia animæ suæ? Et qui benedicit virum raptorem, reijcit Dominum.* Fel x Prat. *Quoniam laudatur impius iuxta desiderium animæ suæ, & iniquus benedicit blasphemanti Dominum.* Sanctes Pag. *Quoniam laudauit se impius super desiderium animæ suæ, & auaro benedixit, irasci fecit Dominum.* Recentiorum alius: *Gloriatur impius, cum animi sui cupiditates impleuit: laudatur prædo, quiq; Dominum blasphemat.* Alius sic: *Nam quicquid animo eius libuerit, id laudat: lucro intendit, bene & malè loqui autophy, perinde habet.* Varietatem hanc pariunt dictiones illæ *ללל* & *ברך* & *בא*, quæ tamen obscuræ non sunt. *ללל* laudauit, *ברך* benedixit, *בא* blasphemauit significat. Verùm quoniam phrasia Ebræa non nihil hic raritatis habet, factum est, vt alius hæc verba actiue, alius passiuè legerit.

Vers. 4.

*Impius elato vultu nihil curat.* Græc. & vulgata Latina sic: *Secundum multitudinem iræ suæ non quæret.* (sic finit versum quartum, & quintum subiiciunt hoc pacto:) *Non est Deus in conspectu eius.* Hieronymus. *Impius secundum altitudinem furoris sui non requirit: nec Deus in omnibus cogitationibus eius.* Reliqui non admodum variant. Ebræam dictionem *אין* alij legunt *iram*, alij *furorem*, alij *spiritum*. Significat autem *vultum*, vel *nasum*: & plerunque meta; horicè pro ira & furore sumitur, quòd ira v. r. iudicia sua habeat in naso, & vultu. Quoniam verò arrogantia impij notari videtur hoc versu, malui sic legere: *Impius elato vultu nihil curat.*

EXPLA  
NATIO.  
Vers. 3.

*Quoniam laudat impius.* Varietatem lectionum consequitur & varietas expositionum. Sit cuique suus sensus saluus. Dicam quid mihi videatur. Propheta ad ea respicit, quæ versibus præcedentibus præmisit. Conquestus est Dominum stare à longinquo, dum interea per superbiam impij exagitur ad afflictus: iam consequenter superbiam huius & arrogantiam causas subiicit, dicens: *Quoniam laudat impius iuxta desiderium animæ suæ, & auarus benedicit blasphemans Dominum.* Quasi dicat: *Quoniam impio cuncta pro voto succedunt, & cuncta ex animi sententia perficit, laudat: id est, iactat se & gloriatur arroganter, videturque sibi quasi DEVS quidam in terris: & cum auarè ad se cuncta rapit, iocundatur ac tripudiat, atque ita Dominum blasphemat: hoc est, causas offert passim imperitis, vt malè de DEO sentiant & loquantur. Quomodo & ipse de DEO malè cogitet, sequens versus memorabit. Sic duo hæc verba *ללל* & *ברך*, posita sunt pro gloriatur, iactat se, & insolecit, propter singularem rerum successum. Illud, *Et auarus:* idem est atque, *Et raptor vel prædo.* Intelligit autem de eodem impio, qui dum rapinarum ac deprædationum successu potitur, exultat, gloriatur & insolecit. Et hæc particula innuit, quòd si illud desiderium impij, propter cuius consecutionem sese iactet, & arroganter gloriatur: nempe inexplabilis quædam auaritia & *אונזיה*, qua cunctis quælibet audissimè inhæat.*

Vers. 4.

*Impius elato vultu nihil curat.* Transit iam consequenter ad describendam superbiam impij. *Impius* inquit, dum tu conuines, nimia rerum prosperitate elatus, nihil curat. Vel, vt in Ebr. est: *Non quærit:* hoc est, nullius autoritate cohibetur, neminem timet, neminem obseruat. Addit: *Non est Deus in omnibus cogitationibus suis.* Significat illum non solum nullo humano, sed ne diuino quidem metu à rapinis ac deprædationibus refringi.

Quoniam

**A** Quoniam laudat impius iuxta desiderium anime sue. ] 1. Notemus hic ingenium impij, si sit in rebus prosperis: ac cunctis pro desiderijs anime sue potiatur. Pius non extollitur rerum successu, sicuti nec aduersis frangitur: at impius, sicut aduersis rebus animo deijcitur, ita prosperis extollitur, & in arrogantiā exorbitat. Hoc est quod Salomon dicit: Prosperitas stultorum perdit eos. Reuera præclaræ fortitudinis est, nec eneruari tristibus, nec insolescere in prosperis.

OBSER.  
Vesf. 3.

Prouerb. 1.

2. Deinde cum dicit: *Et auarus benedicit*: obseruandum est, quod raptores cum fraudulentos, tum violentos, vocat auaros. Notat radicem mali, perinde atq; vulgo eos quos insatiabiliter quiduis ad se rapere videmus, auaros vocare soleimus. Multæ sunt huiusmodi loquutiones cum in S. Scripturis, tum in populari sermone, quibus sceleratos homines vitiorum, quibus dediti sunt nominibus appellamus & reprehendimus: ac rursus, quibus eos qui recte agunt, ipsarum virtutum vocabulis ornamus. Sic *pium* vocamus, quem re ipsa numinis habere rationem: *impium*, quem vel nulla, vel superstitiosa, vel idololatrica religione teneri videmus, &c.

Sic iuste agem, iustum: iniuste, iniustum: fideliter, fidelem: persevere, perseverantem: invidiam, invidiosum: &c.

3. Tertio & illud notemus, quod impio rapacem auaritiæ tribuit. Est ergo auaritia impietati coniuncta. Nequit animus impius satiari, nequit quiescere: pius verò quoniam Deum habet omnium boni fontem, facile terrenis satiatur: quibus non vitur, nisi ad succurendum naturæ necessitati, quæ modicis est contenta.

4. Quarto expendamus etiam hoc, quod anime impij desideria auaritiæ tribuit, quæ tamen carnis potius esse videntur. Sed hic videmus non solum carnem impij, sed & animam vitiosis desiderijs esse prophnatam.

5. Quinto, *Blasphemans Dominum*, inquit. Genus hoc blasphemie Dei summopere cauendum est. Occurrit enim quotidie illius occasio, præsertim in seculo hoc mille modis corruptissimo quando homines impios ac scelestissimos expeditissimo quodam omnium rerum & honorum successu haud secus potiri, & timentes Dei opprimi ac proteri videmus, quàm si nec in cælo, nec in terris vlla sit prouidentia, res humanas dirigens, impijsq; succensens, & iustos fouens.

*Impius elato vultu*. ] 1. Obseruandum hic est, quod non dicit, *Impius elatus*: sed, *Impius elato vultu*. Sic S. Scriptura non modò internum illud elati cordis vitium, sed externum illius indicium, gestus & mores, superbæ mentis testes & indices, notat & damnat, & quasi ob oculos visendos ac detestandos obijcit. Sic vultum elatum, & oculos sublimes, & collum extentum, & verticem erectum in superbis Spiritus sanctus carpit: quos Dominus humiliaturus est absq; dubio.

OBSER.  
Vesf. 4.

*Nihil curat*. ] 2. Notabis vitiorum connexionem. Impietas, auaritia, superbia, & contemptus omnium, connectuntur hoc loco. Animus humilis neminem mortalium contemnit: at superbus & arrogans, cuncta præ se fastidit. Excæcant animum hominis ista vitia, vt prorsus reddatur securus, nec cuiuspiam rationem habeat. Sic diuinitus constitutum est iudicio omnium iustissimo, vt impij excæcentur, impingant & corruant: pietas contra, charitas non rapiens, sed expendens, & humilitas oculos operiunt, & cautum reddunt hominem, ne quicquam temere contemnat.

*Non est Deus in omnibus cog. suis*. ] 3. Hæc est malorum omnium radix, dicere in corde, *Non est Deus*. Hæc vt auaritiæ rapacem, superbiam insolescentem, & summum omnium contemptum parit: ita rerum prosperitate, & his vitiosis suis fructibus in se ipsa consolidatur, & obduratur, vt quotidie magis ac magis incipiat impius omnem cælestis numinis religionem in corde ridere, ac dicere, *Non est Deus*, vano metu Dei terrentur mortales, &c. Sicut enim fides in Deum suis fructibus exercetur, crescit, confirmatur ac consolidatur, vt pius in cognitione ac cultu Dei quotidie crescat: sic omnino incredulitatis impietas, impijs suis fructibus & exercitijs vegetior, auctior & obstinatio redditur.

4. Postremo & illud nota, quod non dicit, *In omnibus verbis suis*: sed, *In omnibus cogitationibus suis*. Ea est impiorum hominum hypocrisis, vt quod corde cogitant, & ipsa quoq; vite conuersatione exprimunt, verbis egregie dissimulent, non dicentes ore: *Non est Deus*, sed eam impietatem in corde volentes. Reperias tales, qui quamuis religionem ore profiteri queant, cum in corde omnia diuina rideant.

5. *Prosperantur via eius omni tempore, sublata sunt iudicia tua à facie eius: omnes inimicos suos despiciit.*

6. *Dicit in corde suo, Non mouebo: à generatione in generationem (ero) sine malo.*

*Prosperantur*. ] Ebr. *לך יצא*. Græc. *βελουδοῦται*. Lat. Vulg. *Inquinatae sunt*. Hier. *Parturiunt*. Felix: *Prosperabuntur*. Et Chald. *יבצרו*: i. e. *Prosperantur*.

LECTIO.  
Vesf. 5.

*Omnes inimicos suos despiciit*. ] Ebr. *בצרו יריביו*. Græc. *πάντων τῶν ἐχθρῶν αὐτοῦ κατακυριεύσθαι*. Vulg. Lat. *Omnium inimicorum suorum dominabitur*.

*Dicit in corde suo*. ] Græc. *ἐν τῇ καρδίᾳ*. Vulg. Lat. *Dixit enim Hier, Loquitur in corde suo*.

Vesf. 6.

*Ero sine malo*. ] Ebr. *אשר לא ברע*: i. e. *Quod non in malo*. Cum Hier. adieci, *Ero*. Græc. & vulg. Latina reddiderunt, *Sine malo*.

Nihil obsecuri habent hi versus. Adhuc de malis fructibus queritur, quos impiorum hominum prosperitas gignere solet. *Prosperantur*, inquit, *via eius*, impij sc. *omni tempore*. Loquitur hoc Propheta non sine tentatione quadam & admiratione, quanam ratione fiat, quod *vix*: i. e. *consilia & instituta impiorum*, tam illis prosperè succedant. *Emphasis* est in eo quod dicit, *Omnino tempore*: id est, aduerso vel prospero, quasi dicat: *Quicquid reliquis mortalibus accidat, illis perpetuò bene est*.

EXPLA-  
NATIO:  
Vesf. 3.

Sunt qui particulam hanc sic exponant: *Parturiunt via eius omni tempore*: hoc est, perinde atq; fecunda animantia foetum post foetum felici successu parturitionum, colligunt, ac se ipsa multiplicant, ita vt foetus ex foetu, sicuti scænus ex scænore, suscipiatur: sic impiorum consilia & studia indefessa fecunditate promouent & augentur.

*Sublata sunt iudicia tua à facie eius.* ] Subijcit iterum fructus huius prosperitatis impiorum. Primum dicit, impium continua rerum prosperitate sic excæcari, vt iudicia Dei antea sæpenuerò declarata, quib. impiorum studia & prosperitas ipfissimo exitio terminantur, haudquaquam videat vel recogiter, atq; ita nullo timore Dei à malis studijs cohibeatur.

*Omnes inimicos suos despicit.* ] Deinde dicit, etiam contemptum aduersariorum illis ex hac prosperitate nasci, q. d. In tantam insolentiam exorbitant impij, dum eis omnia pro animi sententia cedunt, vt etiam hostes & inimicos suos subsannent & exufflent. Hoc enim est quod in Ebræo legitur, *וַיִּתְּרֵם אֵלֶּם, Exufflat in eos.*

*Vers. 6.*

*Dicit in corde suo, Non mouebor.* ] Tertio imputat huic impiorum prosperitati etiam securitatem præposteram, qua sibi perpetuitatem prosperitatis promittere solent. Etenim sic se confirmatos esse, ac radices egisse putant, vt nullo vnquam pacto periclitari queant. Et vt hanc persuasionem significet illis esse intimam: *In corde suo, inquit, dicit impius, Non mouebor,* &c. Et quod adhuc maioris est insanis, addit: *Ero sine malo à generatione in generationem.* Multi malis tentantur, qui tamen non subuertuntur. Impius verò non solam subuersionem non timet, sed nec alicuius mali inflictionem veretur.

*OBS. 1.*

*Prosperantur via eius omni tempore.* ] De hac impiorum prosperitate vide infra Psal. 37. 73. Hier. 12.

*OBS. 2.*

*Sublata sunt iudicia tua à facie eius.* ] Primum hoc loco notandum est, quòd excidia & exterminationes impiorum, qualib. deletus fuit prior Mundus, deinde & Sodomitæ, tertio percussus Aegyptij, vocat hinc *iudicia Dei*: vt admoneat populum Dei, quoties talia videt, vt cogitet DEVM esse iudicem Mundi, qui iudicijs suis pœnas lumat de reprobis.

Deinde cogitandum est, quanta sit hæc iræ Dei plaga, qua oculi impiorum ita excæcantur, vt exitum suum quò alij antea perierant, siue quod ipsis præforib. est, non videant. Ita obcæcario certissimum indicium est mox adfuri exitij. Sic enim solet Deus oculos eorum quos punire constituit, præstrigere & excæcare, vt foueam ante pedes ipsorum effossam non videant.

*OBS. 3.*

*Omnes inimicos suos despicit.* ] Notandus est insignis hic contemptus. Sapientis hominis non est, quemquam contemnere, quantumuis abiectum & imbecillum. At arrogantia impiorum adeò redidit insana, vt etiam inimicos despiciat. Putant se Deos quosdam esse, qui à nemine lædi queant. Sic rex Babylonis Balthasar ea nocte qua Babylon per Medos erat capienda, edebat & bibebat, summisq; delicijs per contemptum vacabat. Dan. 5. Et Goliath Davidem contra se venientem contemnebat, 1. Sam. 17. Quis finis sit huiusmodi contemptorum, experientia sic reddidit manifestum, vt vulgari proverbio dicatur, *Es soll niemands seinen Feind verachten.*

*OBS. 4.*

*Dicit in corde suo, Non mouebor.* ] Videmus hinc securitatem illam, qua perpetua constantia rerumq; prosperitas promittitur, dari impijs: ideoq; canendum nobis est, ne quam nobis ampliorem felicitatè polliceamur, quam quæ secundum voluntatè Dei cõcedatur. Impiorum, non piorum vox est: Percussus scõdus cùm morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans eum transferit, non veniet super nos. Babyloni datur hæc vox: *In sempiternum ero domina.* Verum ignorabat illud, quod tandem in parietem regalis aulae insculpebatur, *מְנַחֵם מְנַחֵם, i. e. Numerando numerauit:* Dan. 5. Longum s quidem est Dominus, sed habet illius patientia mensuram & terminum. Et hodie Roma dicit: *In sempiternum ero domina.* At etiam illius palatio inscriptum est illud *מְנַחֵם מְנַחֵם.*

*Esa. 28.*

Summa harum obseruationum est. Primum ne terrenarum rerum prosperitatem ambiamus, nec hanc in impijs admiremur. Terreant nos multorum impiorum exempla, præcipuè filiorum Israël, Deut. 32. & Sodomitarum abundantia, Ezech. 16. Deinde, vt iudiciorum Dei nunquam obliuiscamur. Tertio, ne quenquam mortalium contemnamus. Quarto, vt falsam securitatem fugiamus.

*Esa. 47.*

7. *Os eius maledictione plenu est, & fraude, & dolo: sub lingua eius labor & iniquitas.*  
8. *Sedet in insidijs prædiorum, in latibus interficit innocentem: oculi eius pauperem obseruant.*  
9. *Insidiatur in abscondito quasi leo in lastro, insidiatur vt rapiat adflictum: rapit adflictum, vbi attraxerit eum in rete suum.*  
10. *Conterit ac prosternit: & cadunt viribus eius pauperes.*  
11. *Dicit in corde suo, Oblitus est Deus: auertit faciem suam, ne videat in æternum.*

*LECTIO.*

*Vers. 7.*

*Et fraude.* ] Ebr. *וּבְרִיבָה* Græc. *ἐν τῷ κρυπτόν.* Vulg. Lat. *Et amariudine.* Hiero. *Et dolis.*  
*Et iniquitas.* Ebræ. *וּבְרִיבָה* Græc. *ἐν τῷ κρυπτόν* i. e. *Et molestia, vel adfliccio.* Vulg. Lat. *Et dolor.* Chald. *וּבְרִיבָה* i. e. *Et falsitas.* Hier. *Et iniquitas.* Sic & Felix Præt.

*Vers. 8.*

*Prædiorum.* ] Ebr. *בְּרִיבָה* Græc. *ἐν τῷ κρυπτόν.* Vulg. Lat. *Cum diuitibus.* Chald. *וּבְרִיבָה* id est, *Villarum.* Hieron. *Iuxta vestibula.* Felix: *Pagorum.*

*Vers. 9.*

*Adflictum.* ] Ebr. *בְּרִיבָה* Græc. *ἐν τῷ κρυπτόν.* Vulg. Lat. *Pauperem.* Sic legit & Hier. & Felix.  
*In rete suum.* ] Hanc particulam & Græc. & Latinus inuicem faciunt versus sequentis. Hier. verò & Chald. & Felix Ebraicam diuisionem seruantes, legunt: *Dum attrahit eum in rete suum.*

*Vers. 10.*

*Conterit ac prosternit.* ] Hunc versum & Græc. & Latin. sic legunt: *In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, & cadet cùm dominatus fuerit pauperum.* Hier. sic: *Et confractum subijciet, & irruet viribus suis valenter.* Felix ad hunc modum: *Subsidebit, humiliabitur, & cadet in fortitudine eius exercitus conuictorum.*

*EXPLANATIO.*

Post impiorum factum, contemptum, securitatem & impietatem cordis, subijcit iam consequenter de oris fraudulentia, malicia & iniquitate, qua innoxios in mille discrimina nominis ac vitæ conijcere solent. De hac est illud quod vers. 7. dicit: *Os eius maledictione plenum est, &c.* Maledictio est hoc loco, qua famæ ac nominis infantis detrahatur. Sicut enim benedicere, laudare, ita maledicere, virtute.

**A** re, vituperare ac detrahere est. Adijcit maledictiōni fraudem ac dolum, dicitque non simpliciter, Ore suo maledicit ac fraudulenter agit: sed, Os eius maledictione, fraude ac dolo plenum est: vt significet, nihil ab illo dici, quod sit sincerum ac candidè dictum, sed omnia dici fraude ac dolo. Nec dicit, Lingua sua laborem & iniquitatem conuincit: sed, Labor: id est, ærumna & molestia, & iniquitas: id est, mendacium & iniustitia sub lingua eius sunt. Quasi dicat: Sedem suam labor & iniquitas sub lingua illius fixerunt.

*Sedet in insidijs.* Tribus istis vers. 8. 9. & 10. de prædationem ac spoliationem pauperum, quam impij clanculum & insidiosè moluntur, describit. Vtitur autem collationib. primùm latronis, qui in latebris desertorum prædatorum latitans viatorum transitus obseruat: & si commodum sit, prætereuntes ex insidijs inuadit ac spoliat. Hac latronis similitudine vtitur vers. 8. Deinde & leon's, qui ad capturam bestiarum lustris sese occultit, & de improviso incautas adobruit ac discerpit. Hanc similitudinem ponit vers. 9. Teriò, venatoris, qui & laqueos & plagas extendit, quib. bestias irretiat & capiat. Hoc simili vers. 10. vtitur. vers. 10. *Conterit, inquit, ac prosternit, & cadunt viri eius pauperes.* Quos insidiosè, dolo, fraude ac neuitia sua circumuenit, hō. statim contereit ac prosternit: id est, prorsus perdit ac miseros reddit hucq. omnes vires suas impendit, vt passim spoliet ac perdat quos poterit, & inuálidos prorsus pauperes & infelices reddat.

*Dicit in corde suo, Oblitus est Deus.* Aperit iterum cordis illorū impietatem. Quoties vel propria cogitatione vltro, vel aliunde de Deo, qui iudex sit omnium admonetur, mox vt securè peccet, si biceps persuadet in corde, non cogitare Deū, sed obiuisci, vel certè non videre quæ faciat, eò quòd ad alia respiciat, & faciem suam, ne vnquam ista videat auerterit. Hac persuasione impius stimulum sibi conscientia obtusum reddit, atq. ita sine vltimo metu Dei peccando pergit.

*Os eius: item, sub lingua eius.* Note ur ordo. Rectè post cordis impietatem, oris ac linguæ maliciam subiicit. Ex enim ex abundantia cordis os loquitur. Proinde iurimum refert, quales simus corde, bonone vel malo. Qui pij sunt ac boni, os plenum habent benedictione, sinceritate ac veritate, ac sub lingua eorum est beneficentia & æquitas. Omnino cor in ore habent. Impij verò quoniam mali sunt, si non sint hypocritæ maliciam cordis ore proferunt: si autem sint hypocritæ, os plenum habent fraude ac dolo, aliud ore loquentes, & aliud corde celantes, quo fallant incautos. Malum linguæ hominis impij, omnium est pestilentissimum. Nota sunt exempla Doeg Idumæi, 1. Sam. 22. Zipheorum, 1. Sam. 23. seruatorum Saulis, 2. Sam. 24. Ioab, 2. Sam. 3. Sibæ serui Miphiboseth, 2. Sam. 16. Aman, Ester 3. Ceterum sub horum lingua labor fuit, & iniquitas.

*Sedet in insidijs: prædiorum.* Duo sunt tribus hisce versibus notanda, quib. impiorum hominum malicia describitur. Vnum est, quid faciant: alterum, quomodo id faciant. Primùm dicit eos interficere, conterere ac prosternere innocentem, adflictum & pauperem. Hæc est impiorum hominum crudelitas, qua ne adflictis quidem, infantibus ac pauperib. parcunt. Non dicit, *Interficiunt homines, contereit ac prosternit homines:* sed, *Interficiunt innocentem, contereit ac prosternit pauperes, rapit adflictum.* Per se satis miserabile est, interficere, conterere & ac prosternere homines. Quis autem satis expendit, quàm oporteat hoc hominum genus esse iniquum ac crudele, quod ne innocentia quidem parcat, nec pauperum & adflictorum miseretur. At isti potissimum sunt, quos etiam hodie impiorum hominum crudelitas expositos esse videmus.

Deinde & modum, quo crudelitas ista ab impij perficitur, satis luculenter exprimit, cum eos & latronibus, & venatorib. comparat: qui non solum viribus suis violenter, sed & astu & insidijs fraudulenter rapinam exercent. Habemus hinc exemplar eorum impiorum, qui non manifesta, sed dissimulata tyrannide crudelitatem suam ita perficiunt, vt haudquaquam tales esse videantur. Inueniunt perpetuò quod prætexant quo nequi iam suam obtegant: idq. efficiant, vt quos occidunt, iuste occidere putentur. Habeant latibula sua, habent laqueos & retia: habent deinde sub oculos prætextus quib. imperitis fucum faciant. Hac seruire cogitur prætextus iustitiæ, prætextus potestatis legitime, prætextus zeli erga Deum, &c. quibus impij homines maliciam suam palliant, & iustorum hominum innocentiam opprimunt.

*Dicit in corde suo, Oblitus est Deus.* Tertiò loco notanda est etiam persuasio ista impiorum, qua in crudeli hac innocentium oppressionem obdurantur, ac veluti securè pergunt. Cordis impij varia est & multiplex impietas. Iam dicit, Non est Deus: iam, Non videt Deus: iam, Oblitus est Deus: iam, Auertit faciem suam Deus: iam, Non requirit Deus. Sic hoc loco, *Dicit impius in corde suo, Oblitus est Deus, pauperum scilicet vel, Oblitus est Deus, malitiæ videlicet, quam exerceo, cuius paulò post non recordabitur amplius.* Deinde, *Auertit faciem suam,* aliò intentus, nec ista videbit vnquam. Sæpenumerò impia ista impiorum persuasio in Scripturis traducitur, ac reprehenditur. Sed de hac infra vide Psalm. 94. versu 7. ibi: *E. dicunt, Non videt Dominus, nec intelligit Deus Jacob.*

Interea quod ad nostram professionem attinet, qui CHRISTI nomine censemur, cogitandum est, ingenium nobis esse declarandum diuersum ab impijs. Obseruant impij pauperes & adflictos, vt eos opprimant: obseruemus nos eos, vt in necessitatibus constitutis succurramus. Dicunt impij in corde suo, Oblitus est pauperum Deus, non recordabitur malitiæ nostræ, auertit faciem suam, ne videat. Dicamus nos & ore & corde. Nec pauperum Deus oblitus est, nec malitiæ impiorum obliuiscetur, nec faciem suam ne videat, auertit: sed omnia videt, pauperum memor est, maliciam impiorum suo tempore puniet, &c. Sicut impia persuasio impios in malo reddit obliuiscit, sic pius hic sensus de Deo mentes piorum suam in studio pietatis retinet, & in omnibus adflictionibus refocillat.

- 12. Surge Domine Deus, extolle manum tuam: ne obliuiscaris afflictorum.
- 13. Propter quid blasphematur impius Deum? dicit in corde suo, Non requires.
- 14. Vides, quoniam tu laborem & furorem consideras, ad dandum in manus tuas: tibi derelinquitur pauper, orphano tu eris adiutor.
- 15. Contere brachium impij & maligni: requires impietatem illius, non inuenies.

**LECTIO.** Blasphematur. ] Ebr. פָּרַח. Græc. ὀργισθεὶς. Vulg. Lat. Irritauit. Hier. etiam legit: Blasphematur. Chald. פָּרַח. id est, Projicit.

**Vers. 13.** Non requires. ] Ebr. לֹא יִשְׁאָל. Græc. οὐκ ἐπιζητᾷ. Vulg. Lat. Non requirit. Hier. Quod non requirat. Arabs in secunda persona cum Ebræo legit: Tu non requires.

**Vers. 14.** Et furorem. ] Ebr. אַרְוָה. Græc. θυμὸν. Vulg. Lat. Et dolorem. Hier. Et furorem. Arabs: Et tu Domine iniquitatem & molestiam vides.

**Vers. 15.** Impij. ] Ebr. רְשָׁעִים. Græc. ἁμαρτωλοῖς. Vulg. Lat. Peccatores. Sic & Arabs. Requires impietatem illius, non inuenies. ] Ebr. לֹא יִשְׁאָל בְּרַשָׁעִים. Græc. ζητῶνται ἰ ἀμαρτία αὐτῶν, καὶ οὐκ εὑρίσκει. Vulg. Lat. Quæretur peccatum illius, & non inuenietur. Chal. sic: יִשְׁאָל בְּרַשָׁעִים לֹא יִשְׁאָל: id est, Quærentur impietates, eorum, & non inuenientur.

**EXPLA=** Precationem habent quatuor isti versus vehementer ardentem. Orat autem duo Propheta. Pri-  
**NATIO.** mum, ne obliuiscatur afflictorum, sed eripiat eos è manib. impiorum. Deinde, vt brachium impio-  
**Vers. 12.** rum & malignorum conterat. Surge Domine Deus, inquit, extolle manum tuam. Consuetu loquutione Do-  
minum excitat, vt abiecta patientia, miseris tandem potenti manu succurrat. Surgere, est iudicium  
exercere: manum extollere, potentiam suam declarare. Ne obliuiscaris afflictorum Quoniam dicebant  
impij in corde suo, Oblitus est Deus: orat iam Deum, vt declaret se non esse oblitum afflictorum.

**Vers. 13.** Propter quid blasphematur impius Deum? ] Exprimit rationem, quare potissimum debeat Deus surgere,  
manum extollere, & afflictos liberare: videlicet ad reprimendam impiorum blasphemiam. Quæ illa  
sit, subiicit dicens: Dicit in corde suo, Non requires. Igitur blasphemata est, de Deo cogitare, quod non in-  
quirat in eos, qui pauperes, orphanos & afflictos opprimunt. Dicit itaq;: Quare non vindicas Do-  
mine gloriam tuam ab impiorum blasphemia, qua tibi iustitiæ laudem adimunt: quasi talis Deus sis,  
qui susq; deq; impiorum hominum maliciam & innocentium oppressiorem facias.

**Vers. 14.** Vides quoniam tu laborem & furorem consideras. ] Contra blasphemiam impiorum, qua dicebant: Atter-  
it faciem suam Deus, ne videat in æternum: constantem asseuerationem de Deo subiicit, affirmans eum  
impiorum maliciam videre. Vides, inquit. Deinde hoc alia affirmatione confirmat, dicens: Quoniam  
tu laborem & furorem consideras, ad dandum in manus tuas. Verbum considerandi, idem hoc loco est, quod  
sedulo ac diligenter obseruare & animaduertere. Quoniam, inquit, tu Deus ille es, qui laborem: i. e.  
molestiam & afflictionem innocentium, & furorem, impiorum videlicet, sic accuratè ac vigilanter  
obseruas, vt te nihil eorum lateat, quæ improbi moluntur.

Ad dandum in manus tuas. ] Hoc est, vt vlciscare. Etenim in manus dare, hoc loco idem est, atq; in ma-  
nus sumere & vlcisci: vt legi possit, Vt des in manus tuas. Quidam sic exponunt: Ad dandum in manus tuas:  
i. e. vt afflicti causam suam dent in manus tuas, ac tibi vltionem de reprobis sumendam commen-  
dent. Verum quoniam Propheta hac particula, quare laborem & furorem Deus consideret, exprimere vo-  
luit: malo sic lege, Vt des in manus tuas, & vindictam in reprobos exerceas.

Tibi derelinquitur pauper. ] Hoc est, Præter te nemo est qui pauperum rationem habeat, ac miserorū  
curam gerat. Orphano tu eris adiutor: idem est, q. d. Extra te nemo est, qui orphanis succurrat. Siquidem  
illis succurrendum erit, oportet vt id tu facias, qui hoc solus & vis, & potes. Orphanum vocat eum, qui  
aliorum etiam proximorum ope destituitur.

**Vers. 15.** Contere brachium impij & maligni. ] Brachium hic sumitur non simpliciter pro potentia, sed pro vio-  
lenta & iniqua potentia, qua non defendebantur sed opprimebantur miseri & innocentes. Rectè i-  
gitur orat vt conteratur brachium impij & maligni.

Requires impietatem illius, non inuenies. ] Particula hæc propter reticentiam non nihil obscuritatis ha-  
bet, vt nescias, vtrum impium Deus, vel impietatem illius non sit inuenturus, si in hanc inquirere  
velit. Rabi Shlomoh sic exponit: וְיִשְׁאָל בְּרַשָׁעִים מִצְדִּיקִים לָבֹא בְּרַשָׁעִים אֲחֵרִים. Hoc est: Trāsgres-  
siones Israelitæ vbi viderint impios prosperè agere, corde ad impiè agendum feruntur: verum vbi brachium impiorum  
confregeris, si veneris ad quærendum impietatem impiorum Israelis, non inuenies eam. Alij sic: Quæres impietatem il-  
lius, donec nihil illius inuenias amplius. Alij de ipsis improbis intelligunt, quos non sit inuenturus Domi-  
nus, si requisiturus sit illorum impietatem. Hoc sensu dictum puto, Non inuenies: pro, Nusquam compa-  
rebunt. quasi dicat: Qui iam omnia occupant, & passim regnant, si pœnas de illis sumere cœperis,  
nusquam apparebunt amplius.

**OBSE=** Surge Domine, exalta manum tuam. ] i. Notemus hanc loquutionem. Cùm regnant impij, manus il-  
**Vers. 12.** lorum exaltata, D E I verò inualida & deiecta: rursus dum opprimuntur ac puniuntur impij, asse-  
runtur iusti & innocentes: ac regnat D E I s, manus impiorum deiecta, contra D E I exaltata vide-  
tur. Nequit ergo fieri, vt simul D E I & impiorum manus exaltentur. Oportet, vt hac exaltata, illa  
sit deiecta: hac demissa, illa exaltata. Non simul possunt D E I s & impij, iustitia & iniquitas, re-  
gnare videri. Rursus fieri non potest, vt perpetuò sit impiorum manus exaltata: quia fieri ne-  
quit vt manus iustitiæ ac potentiæ Dei perpetuò sit remissa. Itaque sicubi manum impiorum exal-  
tatam viderimus magno & ardenti affectu & ipsi cum Propheta oremus ac dicamus: Surge Do-  
mine, ex-

**A** mine, exalta manum tuam: certis futurum ut manu Dei exaltata, manus impiorum prorsus reprimatur ac deiciatur.

*Ne obliuiscaris ad afflictorum.* 2. Primum notemus, quomodo Propheta Deum oret, ne id faciat, quod impij enim in corde suo facere dicunt, & aliàs etiam in oculis carnis facere videtur. Quanquam sciebat non obliuisci Deum miserorum & afflictorum, orat tamen, ne hoc faciat. Est hæc oratio animi non dubitantis, sed id petentis, quod & facere Deum, & gloriæ nominis eius conducere nouit. Hoc ipsum orat, gloriæ ipsius desiderio, & ad confundendam impiorum de Deo sententiam.

Deinde & hoc notat: *Ne obliuiscaris, inquit, afflictorum.* Quid igitur fiet, etiamsi afflictorum & miserorum recordetur Deus? Quæ hinc erit utilitas afflictis, & quæ incommoditas impijs? Impij magni sunt & potentes in hoc seculo: contra afflictos pauperes, infirmi ac miseri. Quisnam poterit esse miserorum coram Deo respectus, etiamsi quam maxime illorum recordetur? Diceret scilicet, *Ne obliuiscaris iustorum ac perfectorum.* Certè non frustra est quod Propheta dicit, *Ne obliuiscaris afflictorum.* Si afflictos perinde despiciati coram Deo essent, atque contempti sunt in oculis magnatum huius Mundi, reuera parum adferret momenti, etiamsi illorum recordaretur. Nouit autem Propheta, non posse Deum pro bonitatis suæ ingenio contemnere miseriam afflictorum: ideo certus quod est, plurimum habere momenti ad succurrendum, si illorum obliuiscatur. Itaque ex eo quod dicit, *Ne obliuiscaris afflictorum:* colligamus hanc omnium certissimam sententiam & consolationem, non posse Deum miseriam afflictorum contemnere.

*Propter quid blasphemat impius Deum?* 1. Obseruandum hæc est, quid Propheta vr̄at ac cruciet, & **OBSER.** unde ad orationem istam perueniat. Plurimum refert, non modò quid, sed & quibus de causis **Verf. 13.** Deo petamus. Orat Deum ut surgat, & manum suam exaltet: deinde, ne afflictorum obliuiscatur. Bona est petitio. Verùm si proprii commodi respectu ista petas, probari non potest. Significat igitur Propheta, iura se non suo ipsius commodo, sed gloriæ Dei desiderio motum petere, quod blasphemiam Dei ferre nequeat. Non dicit, *Propter quid adfligit nos impius:* nec, *Propter quid blasphemat nos impius:* sed, *Propter quid blasphemat impius Deum:* Expeditur igitur mentes nostras, quid, qua ratione petamus, & quo animo blasphemias Dei feramus.

*Dicit in corde suo.* 2. Expendamus etiam hoc, quod iam tertio cogitationes, quas impij in cordibus suis voluunt, quibus etiam seipos in malo animant & confirmant, hoc Psalmo profert & inculcat. Tertio iam illud, *Dicit in corde suo,* repetit. Admonemur omnino, unde malorum impietas corroboretur, quantumque referat, quæ sit cordium nostrorum cogitata.

**B** *Non requires.* 3. Vide hæc, quæ sit ista blasphemiam, qua Deum ab impio blasphemari dixit: nempe de Deo cogitare, nedum dicere, quod non sit impiorum maliciam aliquando requisiturus. At hæc cogitatio, nolis velis, carni nostræ nonnunquam sese insinuat. Non dicit, *Dicit impius ore suo:* sed, *Dicit in corde suo.* In corde dicere, est cogitare. Ergo vel cogitare hoc de Deo, quod non sit impiorum maliciam iudicium vocaturus, blasphemiam est. Verùm licet hæc cogitatio nonnunquam mentibus nostris surrepat, non tamen hæret, sicut in cordibus impiorum, sed fide iustitiam Dei vincitur.

4. Nec hoc prætereundum censeo, quod non dicit, *Propter quid blasphemat impius te:* sed mutata persona, *Propter quid blasphemat impius Deum?* dicens in corde suo, *Non requires.* Expedit Propheta non posse hoc Deo, ut Deo competere, sed esse illi vehementer inglorium & ignominiosum, non requirere impiorum maliciam. Nolunt ne impij quidem Deum blasphemare, de quo subinde multa iactant. At interim Deum in Deo blasphemant, dum de illo diuinitati & iustitiæ illius inconuenientia cogitant. Est igitur duplex blasphemiarum Dei genus: manifestum vnum, occultum alterum. Manifestè Deum blasphemant, qui illi ex professo maledicunt: sicuti gentes vni ac vero Deo maledixerunt: & sicuti de Italis audio, quod leuata manu palàm Deo maledicant. Occultè ac dissimulatè, qui quantumuis ore Deum sonant, de illo tamen talia cogitant, sentiunt, & subinde etiam loquuntur, quæ maiestati, diuinitati, bonitati, potentiae iustitiæ, verbo ac veritati illius haudquaquam conueniunt.

*Vides, quoniam tu laborem & furorem consideras.* 5. Nota hæc, quam diuersum sit impiorum ac piorum ingenium. Impij dicunt in corde suo, *Non videt Deus.* Pij contra: *Videt Deus,* inquit, & laborem ac furorem considerat. Itaque sicut impij ex eo quod in corde dicunt, *Non videt Deus,* & Deum blasphemant, & in malicia sua pergunt, & innocentes opprimunt: sic pij ex eo quod credunt, perfusi sunt, videre Deum & obseruare consilia & facta mortalium, & glorificant Deum, & seipos in studio pietatis confirmant, & in afflictionibus quas ab impijs illatas perferunt, admodum recreantur. Et obserua verbum *considerandi.* Non erat Propheta satis dixisse, *Vides:* ideoque adiecit, *Quoniam tu laborem & furorem consideras.* Ut significaret, non simpliciter videre Deum, quid hæc geratur in terris, sicut multa casu & obiter videntur: sed studio cuncta obseruare & considerare.

Deinde & hoc nota, quod non simpliciter dicit, *Quoniam consideras:* sed, *Quoniam tu consideras laborem & furorem.* Emphasis in pronomine *Tu,* significat Deum esse solum, qui studiosè consideret, quomodo impij innocentes opprimant. Et hinc consolationem Propheta petit, qua mentes afflictorum, ubi videriat neminem esse ex magistratibus qui maliciam impiorum obseruet & retundat, afflictosque tueatur & asserat, in Deo iusto iudice, & vigilantissimo omnium obseruatore refocilentur & erigantur.

Denique etiam illud obseruandum est, quod *labori:* id est, afflictioni, & molestiæ quæ premuntur innocentes ab impijs, *furorem* coniungit. Furor impetus est hominis mente moti. Ergo insani sunt impij, dum innocentes adfligunt, & in corde dicunt, *Non videt Deus.* Discamus hæc, quid sentire debemus de impiorum hominum violentia & tyrannide, qua se rebus ac gloriæ suæ appetitè consulere putant; nempe esse insaniam, furorem, quod ipsi putant esse summam prudentiam.

Quis autem cordatus non intelligit, durare ac constanter progredi non posse, quod per furorem Ageritur?

Expende & illud, quod primus Deus laborē & furorem considerat, ac postea vindictā exercet: quā in manus nō sumis, nisi post iustā & sufficientem consideratiōnē. Vide historiam subversionis Sodomorum, Gen. 18. Descendā (inquit) & vide bo. Exemplum quod sequitur magistratus.

Ad dandum in manus tuas. ] Admonemur hīc, non esse considerationem Dei, qua laborem & furorem obseruat ociosam, sed subsequentem habere iustitiæ executionem. Est autem loquutio ista emphatica in eo, quod non simpliciter dicit, *Ad vltiscendum*: sed, *Ad dandum in manus tuas*. quid non laborem ac furorem, sed vltionem impiorum, ac defensionem oppressorum. vtramq; commisit iudicibus. & magistratibus, quibus gladium vltionem dedit vnde & pungi solent reges & imperatores, gladium euaginatam manu gestantes, symbolum exercendæ iustitiæ, & vltionis reproborum, Quoniam verò illi vel in furorem versi, quos defendere debebant, percutiunt: quos percutere, defendunt: vel cæci laborem & furorem impiorum non considerant: pulcherrimè Deum nobis hīc ob oculos talē exponit, qui huiusmodi magistratibus gladium ē manibus auferat, & ipse vindictam exercent. Itaq; nō dubitemus futurum, vt gladius ille tyrannorum nostri temporis manibus illorum ereptus, veniat in manus Dei, qui illo vtatur legitime. Et quod de gladio hīc magistratus impj traditur, cogitandum etiam est de munere docendi, quo Ecclēsiastici non doctores, sed seductores iam seculi aliquot abutuntur. Et illorum peruersitatem, laborem, seductionem, & insaniam considerat Dominus, vt det in manus suas: hoc est, i se spiritu suo populam instuat, librum S. scripturarum manibus illorum eripiat, & alijs commendet. Sic Iudæis incredulis dicebat Dominus: Auferetur a vobis regnum Dei, dabiturq; genti facienti fructum, &c.

Tibi derelinquitur pauper, orphano tu eris adiutor. ] Non solum hoc notabis, habere Deum rationem abiectionum ac derelictorum, pauperum & orphanorum, qua de re infra vide Psalmo 68. versu 5. sed & hoc, quod hīc cum primis agitur, esse Deum solum, qui verè curam gerat pauperum, orphanorum, viduarum, & omnium derelictorum, & abiectionum, qui pauperum, orphanorum, ac viduarum nomine comprehenduntur vt emphasis sit in vocibus *Tibi*, & *Tu*. Notatur igitur magistratum peruersitas qua pauperes & orphanos quos defendere debebant, sicut infra Psal. 28. legimus: Iudica pauperem & orphanum, inopem & egenum iustificate: Eripit pauperem, & mendicum de manu impiorum liberate, & vel opprimunt ipsi, vel sinunt vt à reprobis opprimantur.

Deinde significatur, Deo relinqui, qui hīc à magistratibus non defenduntur. Deum esse adiutorem eorum, qui hīc opprimuntur iniquè ac deseruntur. Hinc ille dicebat: Necessè est apparere diuinum auxilium, vbi cessat humanum. Vides hīc quò deuoluatur neglecta iustitiæ executio? Ad eum scilicet, à quo illa mortibus est commendata, sicut ad principem redit, si à præfatis illius negligatur.

Tertiò innuitur, sicut supra dixi hanc esse sortem pauperum & orphanorum, vt solum Deum habeant defensionem & adiutorem. Also wird es auch bleiben.

OBSER. 15.

Contere brachium impij & maligni. ] Principiò notandum est, quod non dicit, *Tolle ex usu hominum gladium quem dedisti*. Ad quid enim valet aliud, nisi ad violentiam tyranni demq; malorum vel exercendam, vel defendendam, & oppressionem pauperum, egenorum, &c. sed, *Contere brachium impij & maligni*. Non petit vt magistratus functio omnibus modis necessaria & vilis, è medio tollatur. Culpa quippe tyrannidis & violentiæ iniustæ, non est gladii in se, sed impiorum & malignorum, qui re bona ad maliciam exercendam abutuntur. Orandum igitur est hoc exemplo & nobis, non vt magistratus aboleantur, sed vt vis tyrannica conteratur.

2. Huc & illud pertinet, quod non dicit, *Contere impios & malignos*: sed, *Contere brachium impij & maligni*. Non orat vt ipsæ personæ magistratum perdantur: sed vt brachium: id est, iniustæ illorum potentia conteratur. Sic & nobis contra maliciam impiorum hætenus est orandum, vt interim salutem personarum parcamus. Ad hunc modum monet & Augustinus, vt contra errores dimicantes personis errantium parcamus. Tertiò, expendere etiam verbum *conterendi*. Quis potest esse vsus brachij contriti? Certè neminem percutiet amplius, nec tenere quidem poterit gladium, nedum percutere.

Aug. lib. 1. cōtra literas Petilianas, ca. 29. Diligite (inquit) homines, interfuisse errores, sine sententia pro veritate certare. Et cō. Cres. grā. lib. 3. ca. 30. Nullis bonis hoc placet in catholica, si vsq; ad mortem in quenquam, licet hæreticum, seuiatur.

Deinde non poterit etiam cura amplius brachium non simpliciter percussum, vel leuiter vulneratum, sed prorsus contritum. Vide Ezech. 30. Fili hominis, inquit, brachium Pharaonis regis Egypti confregit, & ecce non est obuolutum, vt restitueretur ei sanitas, & ligaretur pannis, & recepto robore possit tenere gladium. Sic fregit brachium regis Israël, per Assyrium. Assyrii simul & Pharaonis, per Babylonium, sicut eodem capite legimus: Ecce ego ad Pharaonem regem Egypti, & comminuam brachium eius & deiciam gladium è manu eius, & dispergam Egyptum in gentibus, & ventilabo eos in terris & confortabo brachia regis Babylonis, daboq; gladium in eum in manu eius, & confringam brachia Pharaonis, & gement gemitibus interfecti, &c. Babylonis brachium per Cyrum Persicum, Perlatum per Græcos, Græcorum per Romanos, Romanorum per Gothos & Turcos confregit, Turcorum etiam conteret suo tempore.

Expende & illud, quàm digna res sit, vt brachium illud impiorum, quo conteruntur innocentes, conteratur & ipsum. Pronum est ad conterendū, omnium impiorum hominum brachium. Est itaq; omnium æquissima petitio, vt & ipsum conteratur, pariaturq; in seipso quod alijs intulit. Sic contra Babylonem, Romanam illam sedem legimus Apoc. 18. Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis.

Quartò, nec illud transeundum, quod non dicit, *Conteramus brachium impij*: sed orando & præcædo ad Deum: *Contere, inquit, brachium impij*. Nostrum non est conterere brachia impiorum tyrannorum Dei est hæc potestas & potentia. Nostrum est orare, vt ipse brachia impiorum conterat. Insuper licet tentatur à subditis, quot es sine ductu & impulsu Dei tentatur. Dominus regnare facit hominem hypocritam & impium propter peccata populi. Huius etiam est, brachium impij conterere.

Quintò,

Quintò, notabis & hoc, quòd cum dixit, *Contere brachium impij*: adiecit, *Et maligni*. Maliciæ radix est impietas. Si gladius venerit in manus impij non poterit non malignè exerceri. Sicut enim pietas bonum, ita impietas malignum reddit magistratum.

*Quæres impietatem illius, non inuenies.* ] Primò obserua, quòd non dicit, *Quæres illum*: sed, *Quæres impietatem illius*. Videmus hîc, quid vltio diuina quærat in reprobis. Poterat dicere, *Quæres tyrannidem illius*: verùm vt significet, impietatem à Deo tanquam malorum omnium radicem, cum primis quæri ad vlciscendum, dicit: *Quæres impietatem illius*. Sic in bonis ac pijs quid aliud spectat Deus, quàm pietatem? Deinde & illud notandum, quòd dicit, *Non inuenies*. Intelligendum hîc est, omnimodam futuram esse impiorum, talium scilicet, quales sunt dum dominantur, & tyrannidem exercent, extinctionem, quàm primùm cœperint diuino visitari iudicio. Vide Psalmo. 37. Vide impium exaltatum & eleuatum sicut cedrum Libani: iran suu, & ecce non erat. Sic dilabuntur impij, diuino flagello correpti, qui aliàs in hoc seculo immoti, ac sempiterno robore confirmati videntur.

16. *Dominus rex est in seculum, & in æternum: peribunt gentes de terra illius.*

17. *Desiderium ad afflictorum exaudis Domine: præparas cor eorum, audit auris tua.*

18. *Ad iudicandum pupillo & oppresso: vt non addat vltra terrere homo de terra.*

*Dominus rex est.* ] Hunc versum Græci sic legunt: *ὁ θεὸς βασιλεύς ἐς τὸν αἰῶνα, καὶ ἄς τὸν αἰῶνα τὸ αἶψα.* OBSER. *ὁ θεὸς ὁ υἱὸς τοῦ αὐτοῦ.* Vulg. Latina sic: *Dominus regnabit in æternum, & in seculum seculi, peribunt gentes de terra illius.* Hieron. *Dominus rex seculi & æternitatis, peribunt gentes de terra illius.* Et Arabs legit: *Regnabit, deinde &, in seculum & in seculum seculi.* Illud: *Peribunt gentes de terra illius*: in singulari sic legit Arabs: *Peribit populus de terra eius.* Chaldæus: *Peribunt populi de terra eius.* Vers. 16.

*Desiderium afflictorum.* ] Græcus legit: *Desiderium pauperum exaudisti Domine, præparationi cordis eorum attendit auris tua.* Vulgata Latina sic: *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Hieron. sic: *Desiderium pauperum audisti Domine, præparasti cor eorum, audiuit auris tua.* Vers. 17.

*Vt non addat vltra terrere homo de terra.* Græcus & vulgata Latina sic: *Vt non apponat vltra magnificare se homo super terram.* Hieron. *Et nequamquam vltra superbiat homo de terra.* Et Felix: *Ne pergas amplius conterere hominem ex terra.* Verbum *conterere* aliquando *terrere* significat, vnde *אֱלֹהֵינוּ* id est, *Deus terribilis* dicitur: aliquando sonat *conterere & confringere*: quandoq; & *superbire & insolere* significat, sicut solent tyanni. Vers. 18.

Postrema hac Psalms parte Propheta certam quandam & alacrem fiduciam in Deum ex fide iustitiæ illius conceptam exprimit Dominus, inquit, rex est, ipse moderatur & regit omnia, potentiam que habet inuictam ac supremam (qualis inter homines solet esse regia) nec est quisquam qui voluntati & imperio illius vnquam resistere queat. Habet enim regnum prorsus æternum. Vnde persuasissimum est, perituras esse gentes de terra illius. Vocat autem gentes impios illos homines, qui in terra Israël, quàm hîc *terram Dei* vocat, tyrannidem in populum Dei exercebant, ac pauperes & afflictos opprimebant. EXPLA. NATIO. Vers. 16.

*Desiderium afflictorum.* ] Hoc versu veluti rationem subijcit, quare fuerint gentes de terra Dei periturae: ob eam videlicet causam, quòd nequeat Dominus non audire desiderium afflictorum: imò quòd corda eorum ipse dirigat, & ad hoc impellat, vt ad se suspirent, & ipse vicissim aures suas ad illorum suspiria arrigat & admoueat. Hinc futurum colligit, vt omnes impij, pauperum oppressores de terra Dei sint perituri. Vers. 17.

*Ad iudicandum pupillo & oppresso.* ] Hoc est, vt causam pupillorum: id est, omni ope humana destitutorum, & oppressorum, iudicando expediat. Subijcit: *Vt non addat vltra terrere homo de terra* Per tapinosum vocat impios tyrannos, *homines de terra*: id est, terreos, è terra procreatos. Illos iudicio Dei sic humiliandos & frangendos dicit, vt posthac non sint amplius terribiles futuri pauperibus & insonantibus populo Dei. Potest hæc particula etiam sic intelligi, vt de posteris exponatur, qui excidio tyrannorum moti, mitius & humanius cum subditis agant, ne in eandem perditionem aliquando ipsi cadant. Vers. 18.

*Dominus rex est in seculum & in æternum.* ] Habet hæc particula magnam consolationem, qua mentes afflictorum contra tyrannorum violentiam duplici nomine eriguntur. Primùm ex eo, quòd regnum non tyrannorum, sed Dei est. Sic & in oratione Dominica dicimus: *Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria.* Comprehenditur autem *regni* dictione, suprema omnium potestas, gloria, potentia, rerumque omnium moderatio irrefragabilis & inuicta. Deinde ex eo, quòd Dominus non sicuti terreni reges moritur, sed in sempiternum viuit ac regnat: ideo dicit hîc: *Dominus rex est in seculum & in æternum.* De terrenis principibus dictum est: *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eius*: de Domino verò ac sempiterno rege, nihil tale dici potest. LECTIO. Vers. 16.

Deinde obseruandum est, quòd impios Israëlitas vocat *gentes*, cum tamen fuerint de semine Abrahamæ prognati. Notat ergo tales Spiritus sanctus, tanquam degeneres: significatque Israëlitas non carne, sed fide & pietate Abrahamæ cenferi. Hoc & Christus Iudæis Ioan. 8. obijcit. Et Ezechiel capite 16. impijs Israëlitis originem & generationem tribuit, quæ sit ex Cenanitis, Amorreis & Cetheis. Itaque & de Christianis pariformiter iudicandum est, non esse inter veros Christianos censendos, sed pro gentibus habendos, eos qui vim faciunt pauperibus, insonantibus, & Ecclesiæ Dei.

Tertiò & hoc loco notandum est, quòd *terram* Israëlitarum vocat *terram Dei*. Principio admonet eos diuinæ benevolentia, qua *terram* hanc acquisierunt. Alioqui non modò Canaan, sed vniversa terra & totus Orbis Dei est. Deinde & impiam illam temeritatem notat, qua obli. ti viuere se in terra

in terra Dei tyrannidem perinde exercebant in populum Dei, ac si rerum omnium domini essent: nec unquam ad Dominum suspiciebant, in cuius terra impiè agebant.

Quarto expendendum est & hoc quod dicit: *Peribunt gentes de terra illius*. Fuerant hoc illis Moses comminatus Deut. 4. dicens: Testes inuoco hodie cœlum & terram, cito perituros vos esse de terra, quam transito Iordane possessuri estis. Et infra Psalm. 47. multis inculcat, impios fore exterminandos de terra, iustos verò & humiles illam possessuros. Et est iudicium hoc Dei omnium æquifimum. Quis enim princeps eos ferat, qui in terra sua improbè contra se agant? Quis paterfamilias non eijcit eum seruum, qui in domo sua vim inferat reliquæ familiæ?

Cogitemus & hoc, Si in terra hac non sunt tolerandi impij, propterea quòd illa Dei est: quanto minus locum habebunt in cœlesti illa patria, inter sanctos & electos Dei, quantumvis dum hîc viuunt, ab omnibus propè adorentur, & nescio quibus splendidis titulis & fictis nominib. ornentur.

OBSER.  
Vers. 17.

*Desiderium adflictorum exaudis Domine.* 1. Primò notandum est, quòd dicit: *Desiderium adflictorum exaudis Domine*. Exprimatur hîc natura adflictorum in tribulatione. corda illorum sunt *קוֹרְבָנוֹת*: id est, *desiderantia & suspirantia*, nimirum pro auxilio. Sentiunt enim in similitudinem suam vnà cum periculo. Et hac ratione fit, vt plerumque satis sit adflicti in hoc seculo, quàm rebus prosperis vti.

2. Deinde & piorum ingenium hîc considerandum proponitur. Suspirant ac desiderant & ipsi in adflictionibus: verùm hoc discrimine separantur ab alijs, quòd corda eorum ad Dominum suspirant, quò reliquorum vota non ascendunt. Carent enim fide diuinæ bonitatis.

3. Tertio, notemus etiam hîc diuinæ bonitatis ingenium, quò fit vt desideria adflictorum exaudiatur. Non dicit, *Diurnos clamores & eulatus*: sed, *Desiderium adflictorum exaudis Domine*. Quid hoc est aliud, quàm ad eò paratum esse ad audiendum adflictos, vt non expectet clamores illorum, sed antè quàm clament, exaudiat: sicut Esa. 65. legimus. Sic desideria adflictorum vice clamoris sunt in auribus Domini, sicut de Mose legimus Exod. 14. *Quid clamas, inquit, ad me? cùm tamen nihil clamoris eo loci legamus.*

Exempli. A.  
brahe, Loth,  
& Samaritanis,  
& matris  
erga filium  
egrotum.  
1. Ioan. 4.

4. Quarto, obseruemus & illud, quod dicit: *Præparas cor eorum, audit auris tua*. Stupenda sunt hæc, siue admirabile genus audiendi, siue immensam diuinæ naturæ bonitatem expendas. Mirabilis auditus, quo cordium desideria audiuntur. Mirabilior bonitas Dei, qua non expectantur desideria adflictorum, sed corda ad desiderandum præparantur: & ad id præparantur, vt audiantur. Sit nobis bonitas ista Dei hætenus exemplo, vt & ipsi sic propensi simus ad succurrendum miseris, vt non expectemus donec precibus id à nobis extorqueant: sed si fieri queat, vota illorum præueniamus etiam. Satis sit homini Christiano, scire fratrum adflictionem, ad hoc vt misericordia motus, succurrat. Sic Ioannes dicit: *Qui habuerit substantiam huius Mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauerit viscera sua ab illo, quomodo in hoc manet caritas Dei?*

5. Quinto, notemus etiam hîc, quod orationis genus Deo placeat, & ab illo exaudiatur. Oratio oris, in qua non est desiderium cordis, vt irrisio Dei magis quàm oratio est, ita Deum magis exacerbat, quàm ad succurrendum inuitat: quales sunt omnes illæ verbosæ ociosorum & pinguium hominum orationes, qui cum hominibus non flagellantur.

6. Sexto, quod ad inuocationem nominis Dei pertinet, videmus hîc illam esse opus Dei in cordibus piorum. *Desiderium*, inquit, *adflictorum exaudis Domine: præparas cor eorum*. Aliàs ipsa tribulatio per se vel impietatem potius, vel desperationem animis adflictorum generat, quàm inuocationem Dei, nisi Deus spiritu suo corde adflictorum ad se conuertat, & fiducia bonitatis eius donet.

7. Septimò, expendamus etiam hoc loco, quando Deus corda adflictorum ad se pertrahat, vt se inuocent: quando videlicet adhibiturus est aures suas: id est quando iuuare statuit. Sic cùm dixisset: *Præparas cor eorum*: adiecit, *Audit auris tua*. Sic corda filiorum Israël in Ægypto suspirijs ac desiderijs ad se tendentibus implcuit & accendit, cùm esset eos liberaturus. Sit igitur certissimum signum, nondum esse tempus liberationis, quando corda nostra ad Deum non suspirant.

Psalm. 36.

8. Octauò, & illud obiter expendendum fuerit, qua ratione Deus adflictorum corda primùm suspirijs & desiderijs ad se tendentibus præparare, & aures suas illis accommodare velit, cùm iam aliàs eos liberare statuerit. Posset eos utiq. liberare, etiam si ad se non suspirarent. Posset placè, verùm non hoc solum agit: vt eos eripiat & seruet: sed & hoc, idq. potissimum, vt corda eorum fide & cognitione sui magis atq. magis imbuat, & confirmet. Saluator est non solum hominum, sed & iumentorum: at aliter homines, quàm iumenta seruat: quia illos non sicut ista corporaliter tantum sed & spiritualiter seruare destinauit. Ideo corda illorum ad se trahit, & cognitione bonitatis suæ & ardenti inuocatione & fiducia erga se imbuit & dirigit.

OBSER.  
Vers. 16.

*Ad iudicandum pupillo & oppresso.* 1. Admonentur hîc omnes, ne quem egenum, pupillum & oppressum adflegant. Exaudit enim Deus illorum suspiria, & causam eorum iudicando exequitur. Sic etiam Exod. 22. legimus: *Viduæ & pupillo non nocebitis: si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamq. vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.*

2. Deinde discant hîc adflicti, pupilli, & viduæ, quib. in hoc seculo iudicium & iustitia denegantur, quem iudicem implorare debeant, qui desideria adflictorum exaudiat, & pupillis ac oppressis iudicet. Vide Luc. 18. parabolam viduæ hîc facientem.

3. Tertio, notemus & illud quod dicit: *Vt non addat vltra terrere homo de terra*. Videmus in his verbis, quibus circumstantijs tyrannis impiorum Deo & cunctis bonis vehementer sit exosa ac detestabilis. Non dicit, *Vt non addat vltra principes ac potentes mortalibus esse terribiles*: sed, *Vt non addat vltra terrere homo de terra*. Quibus nominibus plebeij appellandi videntur, illis nominat principes ac potentes.

res, vocans eos *רשעים* id est, *miseros & calamitosos homines, & פראריא de terra: id est, terrenos.* Deinde impropere illis terribilem violentiam, qua sic se gesserint, ut facti fuerint miseris terribiles, qua iniquitatem Deus iudicio suo sit terminaturus, Utinam tales esse se cogitet & agnoscant vniuersi potentes in hoc seculo. Terribilem esse, conuenit etiam magistratui, fateor: sed ijs qui male faciunt, non infontibus & miseris. Deinde non animo tyrannidem spirante, sed vindictam malorum exercente. Detestabilis est tyrannis, etiamsi angeli hanc exercent. at multo est detestabilior, si exercent illam homines de terra. ipsi quoque miseri & calamitosi, quos ipsa mortalitas & originis humilitas modeste debebat & humanitatis admonere, perinde ac si superbiam execrabilem quidem in se esse dicas: at multo execrabiliorem, si videantur pauperes & egeni superbire & insolescere. vel ferocire, & bellicis motibus gaudere, rem esse culpabilem & alienam a mente humana: praesertim vero, si hoc animo praedictae sunt mulierculae. Omne vitium hoc est detestabilius, quo minus habet occasio- nis vel a natura, vel a conditione hominis.

4. Quarto, obseruemus etiam, quod non simpliciter dicit, *Ad iudicandum pupillo & oppresso, ne terreat homo de terra: sed, Ut non terreat ultra homo de terra.* Si confestim exerceret iudicia sua Deus, non esset locus homini mortali aliquandiu tyrannidem exercendi. Verum quoniam iudicia sua plerumque differt, fit ut ad tempus aliquod reprobi vim inferant infontibus. Vbi vero tempus aduenerit iudicij, simul aduenit & finis improbae tyrannidis, ultra quem non permittatur reprobis pro libidine sauire in innoxios. Cogitas, quando tandem finis erit maliciae reproborum? Habes hinc responsum: Vbi ad iudicandum federit Dominus, non addent ultra terreni homines terrorem incutere mortali- bus. Interea parienter ferenda est reproborum violentia.

PSALMVS XI.

AD PRACINENDVM, DAVIDIS. ARGVMENTVM PSALMI.

**A**pparet hunc Psalmum a David: contra eos factum. a quibus Sauli prodebat, cum in montibus latibula quareret: id quod a Ziphais factum, 1. Sam. 23. & 26. legimus. Opponit autem fiducia suam, quam in Dominum habet, nequitiae proditorum: quibus eam iniquitatem exprobrat, quod se ne in montibus quiescere sinant, sed instar auiculae abigant, cum in necem suam parati sint impij. Deinde de Deo gloriatur, qui calitus filios hominum despiciat. Et quoniam iustos diligit, impios odit, punit etiam impios: ideoque huic se omnia committere, atque etiamsi ipsa fundamenta diruantur, securum fore significat.



**N** Domino confido, quomodo dicitis animae meae, ut fugiat a montibus. *VERS. 1.*

1. Quoniam ecce impij intendunt arcum, parant sagittas suas ad neruum, ut sagittent in obscuro rectos corde.

2. Et si fundamenta destruantur, iustus quid faciet?

3. Dominus in templo sancto suo, Dominus in caelo sedes eius: oculi eius despiciunt, palpebrae eius probant filios hominum.

4. Dominus iustum probat: impium autem, & qui diligit iniquitatem, odit anima eius.

5. Pluit super impios liquorem ignis, sulphuris ac spiritus tempestatum: quae pars fuit salicis eorum.

6. Quoniam iustus Dominus, iustitias diligit: rectum videt vultus eius.

*Vi fugiat a montibus vestris.* ] Ebr. *גורר הררים*. Graec. *μεταστας οβριμι τα ορη.* Vulg. Lat. *Transmigra in montem.* Hieron. *Transuola in montem.* Felix: *Transmigra ex monte vestro.* Et arabs legit: *Ad montem.* Sunt ex recentioribus qui legant: *Abi hinc protinus in montes tuos.* Alius: *Deuola a monte vestro.* Pagninus nobiscum legit: *Ut transmigret a monte vestro:* quae lectio mihi magis arrisit, maxime cum Ebraea dictio *גורר* posita sit, ut aliquid desideretur, quod tam infinitiuum, quam imperatiuum formare possit: ac tam recte legatur, *Ut fugiat, quam, Fuge.*

*Et si fundamenta destruantur, iustus quid faciet.* ] Ebr. *כי השתחת יסודות ארצי ומה פועל עמי.* Graecus sic: *כי אם* *VERS. 2.* *καταρτισα, αδελφαι λαβδωρον ο δεινα* & *τι νοινοσ.* Vulg. Lat. *Quoniam quae perfecisti, destruxerunt: iustus autem quid faciet?* Hieron. *Quia leges dissipatae sunt, iustus quid operatus est?* Pagn. *Quoniam retia destruentur: &c.* Felix: *Quoniam fundamenta destruentur, &c.* Ex recentioribus alius sic: *Ut funditus perdant, iustus quo se vertet?* Alius ad hunc modum: *Nam nusquam est consistendi locus, at iustus quid commouit?*

*Rectum videt vultus eius.* Ebr. *ישר רוחו פניו*. Graec. sic: *αδελφαιλας αδελφαι το ποδωνων αδελφαι.* Vulgata Latina: *Aequitatem vidit vultus eius.* Hieronym. *Rectum videbunt facies eorum.* Pagnin. *Rectum videbit facies eius.* Chald. *סבר אפרי הקבנא המייך*: id est, *Rectum videbunt iocunditatem facierum eius.* Iulianianus Genuen. legit: *Recti videbunt facies eorum.*

*In Domino confido.* ] Significat hoc versu Propheta, fiduciam se coniecisse in Dominum, esseque spe bona praeditum, vanos fore proditorum conatus, quibus se Sauli tradere moliebantur.

*Quomodo dicitis animae meae.* ] Hoc est: *Quare insidiamini animae meae, & contra illam conspiratis? ut dicere anima, idem hic sit, atque, consultare aduersus animam, illaque insidiari.*

*Vi fuo*

**EXPLA-**  
**NATIO.**  
*VERS. 1. 2. & 3.*